



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Qvæstio XIX. De Operatione Christi & merito. In quatuor Articulos diuisa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

tamen practicè, seu in ordine ad electionem voluntatis, non poterat: quia tunc necessarium erat omnia considerare, quæ prudens electio postulabat.

13
Voluntas
inefficax
non fuit
semper cõ-
formis di-
uina in vo-
lito mate-
riali.

Dico Tertio, Voluntas Christi interdum habuit motus simplices & inefficaces, qui non erant conformes diuinæ voluntati in re volitæ; tamen secundum se semper erant conformes, vel etiam secundum rationem volendi.

Vbi aduerte, In Christi voluntate fuisse interdum motus inefficaces, qui explicantur per *Vellem, nollem*, qui nihil aliud sunt, quàm simplex complacentia aut displicentia: habuitque voluntas hosc motus non solum vt Natura, id est, vt fertur in naturæ commodum, vel fugit eius incommoda; sed etiam vt Ratio tum superior, tum inferior: Vt, cum volebat latere, & non poterat; cum volebat omnes conuerti, & neminem perire.

Prob. de
motu na-
turali.

Prior Pars de motu naturali, quem habuit voluntas vt natura: Probatur Matthæi 26. v. 39. *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* Hic motu naturali refugit mortem; cum tamen diuina voluntas vellet ipsum suscipere mortem, cui se hic subiicit. Dices; quomodo hic motus erat consentaneus rationi, cum discreparet à voluntate diuinâ? Respondet; Etiam si discreparet in obiecto materiali, tamen ipse motus secundum se erat conformis rationi, ac proinde voluntati diuinæ: quia ratio excitabat & imperabat hunc motum secundum Dei voluntatem; idque partim ad demonstrandam veritatem naturæ humanæ, & passionis acerbissimam; partim ad excitandam in se maiorem tristitiam. Adde; Probabile esse etiam in beatis tales motus voluntatis naturales esse posse; vt, ad Resurrectionem corporum: quod insinuat Apoc. 6. quamquam etiam ij in illis sint liberi quoad exercitium.

Tales mo-
tus sunt
etiam in
Beatis.

Prob. de
motu Ra-
tionali.

Quod autem non solum motus voluntatis naturalis, sed etiam rationalis, poterat dissentire à voluntate diuinâ in voluto materiali, siue esset in ratione superiore siue inferiore: Probatur; Quia id docet D. Tho. in 3. dist. 17. q. 1. art. 2. quæstion. 3. & Gabriel eadem distinctione. Et Scotus dist. 15. Et patet Marci 7. & Matth. 9. vbi Chri-

stus volebat latere, & non poterat: quæ voluntas non erat ex inclinatione ad commodum aliquod naturæ, sed ex aliquâ honestâ ratione: vnde pertinebat ad voluntatem, vt Ratio est. Similiter volebat omnes saluari, neminem perire; quod tamen Deus absolute non volebat. Ratio est; Quia in his actibus exercendis poterat esse aliqua honesta causa pertinet ad rationem superiorem, vt honor Dei, & salus proximi: Vnde illi motus erant ex inclinatione Rationis superioris, & non Naturæ. Nec mirum hoc videri debet, quia etiam in beatis, & in ipso Deo, suo modo tales velleitates & nolleitates esse possunt.

Sunt etia
tales vel-
leitates in
Beatis.

Ex quibus patet altera Pars; scilicet, hos motus conformes fuisse diuinæ voluntati, siue secundum se, siue in obiecto formali.

ARTICVLVS VI.

Vtrum in Christo fuerit contrarietas Voluntatum?

Respondetur; In Christo absolute non fuit Appetituum contrarietas. Est fide terendum: vt patet ex Epistolâ Agathonis in VI. Synodo act. 4. & act. 17. vbi absolute definitur, quod voluntas humana non reluctabatur diuinæ. Idem definitur in Concilio Lateranensi sub Martino I. can. 15.

14
Voluntas
humana
Christi
nunquam
reluctante
fuit diui-
na.

Patet ex dictis; Quia voluntas humana Christi absolute, erat conformis diuinæ in voluto materiali, & formali: inefficax autem erat conformis eidem diuinæ voluntati, vel in voluto formali, vel saltem tamquam operatio suæ regulæ; nam Deus volebat Christum pati tales motus: ergo etiam erat conformis voluntati humanæ absolute & efficaci: ergo nulla erat contrarietas, *Volo enim & nolo* sunt contraria; sed hæc in Christo circa idem simul non fuerunt; sed tantum *Volo & nollem*; quæ nihil repugnant. Denique omnes Christi voluntates erant secundum virtutem; vt patet ex supra dictis: ergo nulla inter eas erat contrarietas.

QVÆSTIO XIX.

De Operatione Christi & Merito.

In Quatuor Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum in Christo sit tantum vna Operatio?

1
Monothelitas.

Respondetur; In Christo sunt duæ operationes; altera diuinitatis, altera humanitatis. Est de fide definita in VI. Synodo, act. 2. 4. 8. 13. 17. contra Cyrum, & Theodorum, & alios Monothelitas, qui asserabant tantum vnicam voluntatē & operationem

esse in Christo. Item in Concilio Lateranensi sub Martino I. cap. 10. & sequentibus.

Nota; Hæreticos qui ponebant tantum vnicam voluntatē in Christo, posuisse etiam tantum vnicam operationem, scilicet ex parte vnius principij operantis; vt sicut omnes nostræ actiones sunt humanæ voluntatis, vt pote ab ea elicite vel imperatæ; ita omnes actiones Christi, essent actiones diuinæ voluntatis tantum ab eâ elicite vel imperatæ; quæ diuina voluntas id faceret in Christo, quod voluntas humana facit in nobis. Hæc videtur illorum hæreticorum sententia; sed refutatio

refutatio patet ex dictis præced. quæstione vbi ostensum est in Christo esse duas voluntates, & utramque habuisse suas operationes.

Dices, Omnis operatio Christi erat actio voluntatis increatæ; nam erat volita ab illâ, & habebat ab illâ esse voluntarium & liberum.

Respondeo, Propriè loquendo falsum est omnem Christi actionem, fuisse actionem voluntatis increatæ; aut habuisse esse voluntarium & liberum ab illâ: nam actiones Christi quæ fiebant per humanitatem, tamquam principium quo, non erant proximè voluntariæ à voluntate increatâ (alioqui non fuissent liberæ respectu voluntatis humanæ, vnde nec meritoria) sed ex ordine ad voluntatem humanam, à qua habebant quod essent humanæ, voluntariæ, liberæ. A voluntate autem diuinâ erant, non vt actus ab illâ elicitus, vel immediatè imperatus, sed vt effectus à causâ vniuersali: Eliciebantur autem vel à voluntate humanâ, vel ab alijs potentijs per humanam voluntatem ad operandum applicatis. Neque in contrarium est Argumentum alicuius momenti.

ARTICVLVS II.

Virum in Christo sint plures Operationes Humana?

Respondeo; In Christo est vna dumtaxat Operatio humana; scilicet ex parte principij. Ratio est; Quia illa operatio dicitur humana, quæ à ratione & voluntate procedit: Atqui omnis Christi operatio procedebat quodam modo à iudicio rationis & voluntate: ergo omnis operatio erat humana.

Notandum est, Dubium non esse quin in intellectu & voluntate Christi fuerint variæ operationes, numero, & specie differentes; & pariter in alijs quoque potentijs. Sed D. Thomas tantum vult dicere omnes Christi operationes fuisse vnam genere, non metaphysico, sed morali: quia omnis eius operatio quodammodo pendebat ab vnico principio, nempe à ratione & voluntate: & ratione huius vnus principij, dicitur vna. Hoc autem singulare fuit in Christo, eò quod voluntas humana Christi, habuerit perfectum imperium super omnes animi motus, & etiam super functiones corporales, ita vt eas posset sustinere saltem diuinâ virtute; & ita omnes quodammodo erant liberæ & humanæ, supraque conditionem actionum naturalium. In nobis autem non omnes actiones sunt liberæ aut humanæ: vt primi motus, & actus potentia vegetatiuæ, motus cordis, pulsus arteriarum; & similia.

De visione & amore beatifico quæri potest. Sed dicendum est, non fuisse actiones liberæ, nec potuisse sustineri; fuisse tamen quodam sensu humanas: quia ex pleno iudicio rationis, & perfecta potestate voluntatis.

ARTICVLVS III. & IV.

Vtrum Actio humana Christi potuerit sibi & alijs esse Meritoria?

Respondeo affirmatiuè. Notandum est; Cum hac quæstione agatur de Actionibus Christi humanis, commodissimè hic tractari de Merito Christi & Satisfactione, quæ sunt conditiones quædam morales operum. Nam ipsam substantiam, & realem perfectionem operum Christi, supra satis explicauimus. Superest igitur, vt nunc de perfectione morali, & earum fructu dicamus, qui potissimum consistit in Merito & Satisfactione. Et quamuis sit aliqua diuersitas inter Meritum & Satisfactionem (Meritum enim dicit ordinem ad præmium, Satisfactio autem ad iniuriæ compensationem) tamen in proposito, vtriusque eadem est consideratio; quia eadem ferè conditiones requirunt, & in singulis Christi operibus coniuncta sunt.

Dicemus autem Primò; De quibusdam conditionibus ipsius merentis. Secundò, De quibusdam conditionibus ipsius meriti. Tertio, Quid, & quibus meruerit.

D VBI V M I.

Verum in Christo fuerint omnes conditiones necessarie ad meritum?

Respondeo, Fuisse omnes hæc conditiones necessarias ad Meritum in Christo; vnde verè potuit mereri, & reipsa meruit. Est fide tenenda.

Probatur Primò, Quia id expressè colligitur ad Philip. 2. vers. 8. Humiliavit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, &c. Propter quod & Deus exaltauit illum, &c. Illud, Propter, designat meritum. Et Isaiæ 53. vers. 10. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longeuum. Et Psal. 44. vers. 8. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: Propterea vnxit te Deus tuus oleo lætitiæ.

Probatur Secundò, Enumeratis conditionibus ad meritum necessarijs; quæ sunt triplices. Aliæ enim sunt necessariae ex parte operis, Aliæ ex parte operantis. Aliæ ex parte eius cui fit opus, id est, Dei.

Ex parte operis, requiritur vt sit opus liberum, honestum, & proportionatum præmio, vel debito pro quo satisfit. Quæ omnia reperuntur in operibus Christi: erant enim libera, vt ostensum quæst. 18. artic. 4. erant honesta, erant supernaturalia, ac proinde præmio commensa: denique laboriosa & penalia.

Ex parte operantis, requiritur Primò, vt operans sit Deo gratus & amicus. Secundò, Vt sit viator; id est, tendat ad beatitudinem. Quæ conditio, etsi non sit necessaria ad meritum secundum potentiam absolutam, (posset enim Deus statuere vt beati suis bonis operibus mererentur) est tamen necessaria secundum legem ordinatam; statuit enim Deus vt meritum solum duret vsque ad terminum vitæ; vt patet ex multis Scripturis. Quod etiam est valde consentaneum nature meriti: nam meritum est veluti quædam via ad præmiu; ac proinde non aptè conuenit in eum, qui iam est in termino. Hæc conditio etiam fuit in Christo: erat enim Deo gratissimus; & secundum corpus passibile erat verè viator tendens ad patriam; & quodammodo etiam secundum Animam, quatenus tendebat ad exclusionem omnis tristitiæ & incommodi ipsius Animæ. Quæ conditio indicatur,

K k

Operatio humana, Quid.

Fuit hæc solum vna in Christo, non metaphysice, sed moraliter.

Cur potius omnes Christi actiones sint humanae & liberæ, quam nostræ.

Visto & A. mor beatificus quomodo sint operationes humane.

Tres conditiones ad meritum requisita.

Prima, ex parte Operantis.

Secunda, ex parte Operantis.

catur, iuxta D. Thomam supra quæst. 15. art. 10. apud Ieremiam cap. 14. v. 8. *Quare quasi colonus futurus es in terra, & quasi viator declinans ad manendum!* Sensus tamen literalis fortassis est alius. Melius Lucæ 24. v. 26. *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?*

Ex parte autem Dei, requiritur pactum seu promissio mercedis sub conditione operum; alioqui non erit verum meritum, cui ex aliqua iustitia debeatur merces, quamvis ceteræ omnes conditiones adsint. Ratio est; Quia nullum potest esse meritum secundum aliquam iustitiam, nisi quodammodo obliget alterum ex iustitia ad reddendam mercedem: atqui in Deo nulla potest intelligi obligatio iustitiæ, nisi supposito pacto & promissione ipsius: ergo sine promissione & pacto Dei, nullum potest esse propriæ dictum meritum apud Deum. Maior patet: quia si in reddendâ mercede non cernitur debitum iustitiæ, neque in merito erit ius iustitiæ; quia sunt relata. Minor patet; quia nulla voluntas creata potest Deo imponere hanc obligationem iustitiæ, nisi ipse sponte suâ se prius obliget sub conditione operis per modum pacti: quia est supremus omnium Dominus. Vnde etsi opus secundum se dignum sit mercede, tamen hoc non sufficit ut ipse obligetur: sicut patet in opere serui erga Dominum.

Quod autem Christus habuerit talem promissionem, patet Isaia 53. vers. 10. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum.* Psal. 2. vers. 8. *Postula a me, & dabo tibi Gentes hereditatem tuam.* Lucæ 24. vers. 26. *Nonne oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Ratio est; Quia ad benignitatem Dei pertinet, ut nullum præceptum præsertim positivum & durum imponat, sine promissione mercedis. Ex his patet in Christo fuisse omnes conditiones meriti.

Dices, Hoc ipso quo Pater Filium voluit assumere naturam humanam, obligavit se ad consentiendum voluntati naturæ assumptæ ob dignitatem personæ; & ad reddendum præmium quod suis operibus postulerit: ergo non requiritur alia promissio.

Respondeo; Sola voluntas assumendi humanitatem, seiuncta ab omni alia promissione, non inducit illam obligationem in Deo respectu operum humanitatis. Nam ex vi incarnationis solum sequitur opera illius hominis non posse Deo displicere, & esse ex se apta ad meritum & satisfactionem; non autem re ipsa esse meritoria. Cuius signum est, quia alioqui etiam modo essent meritoria: quod omnino falsum est. Quare cum nunc non sint meritoria, patet ad hoc requiri liberam quandam Dei promissionem. Quæ etiam causa est cur opera animarum in purgatorio, item Eliæ & Enoch non sint meritoria; quia videlicet non habent promissionem diuinam, nisi secundum certum terminum vel vite huius, vel conuersationis humanæ. Potuit tamen voluntas diuina esse determinata ad consentiendum omni voluntati efficaci & absolute ipsius naturæ assumptæ absq; obligatione iustitiæ: nempe hoc ipso, quo voluntariè fecit eam voluntatem diuini suppositi, quam oportebat semper impleri. Insinuat hoc Scotus dist. 19. quæst. 1. art. 2. Verius tamen videtur diuinam voluntatem per hoc præcisè nõ determinari ad consentiendum in omnibus voluntati creaturæ; vt Andreas Vega lib. 7. in Tri-

dentinum cap. 9. item Scotus, Durandus, & Gabriel dist. 19. Ratio est; Quia voluntas humana potius se debet conformare diuinæ tamquam superiori in eodem supposito, quam diuina humanæ. Vnde non conueniebat humanam aliquid velle, nisi sciret id diuinæ esse acceptum & gratum. Quare si fingamus Animam Christi ignorasse an hoc vel illud placeret diuinæ voluntati; non potuisset id absolute velle, sed solum sub conditione, cum submissione sui sub diuinâ; sicut Sancti modò volunt.

DVBIUM II.

Vtrum necessarium sit ad meritum, vt Christi Humanitas fuerit ornata Gratia Habituali?

Respondeo & Dico Primò: Gratiam habitalem non fuisse Christo absolute necessariam ad meritum. Docet hoc Scotus supra, & lib. 3. de Natura & gratia cap. 6. Vega loco citato. Probatur Primò, Quia sine tali gratia illa persona erat summè grata, & dilecta, & poterat supernaturaliter operari ex motione & auxilio Spiritus sancti; & aliæ conditiones poterant adesse; nempe Promissio, Opus liberum: ergo sine gratiâ poterat mereri.

Probatur Secundò, Quia Christi merita habent suam dignitatem infinitam ex sola gratia vnionis: ergo sine gratia habituali essent meritoria. Confirmatur; Quia ipsa gratia habitualis in Christo habet suam præcipuam dignitatem ex vnione hypostaticâ: ergo gratia vnionis est sufficiens. Dices; ergo neque secundum legem ordinariam erat Christo necessaria gratia habitualis. Respondeo; Ob solam & præcisam rationem meriti, non erat necessaria gratia habitualis; sed ad maiorem perfectionem: nempe vt opera eius pluribus modis & rationibus essent meritoria; & vt ipsa, secundum suam substantiam manerent à principio intrinseco connaturali sibi; sine enim donis habitualibus anima non habet principium intrinsecum commensum functionibus supernaturalibus. Et sic intelligendi sunt quidam Doctores, qui videntur sentire gratiam creatam ad meritum fuisse necessariam; vt Bonauentura, Durandus, Paludanus in 3. dist. 13.

Dico Secundò, Christo non erant absolute necessaria opera gratiæ seu supernaturalia ad meritum; sed potuisset mereri ex iustitia gratiam & gloriam, per sola opera moraliter bona, viribus naturæ facta, si promissio diuina interuenisset.

Probatur; Si Deus assumeret humanam naturam nudam sine vilo dono supernaturali creato, & promitteret huic homini gratiam & gloriam, & nostram redemptionem, sub conditione bonorum operum prout fieri possunt naturæ viribus; & hic homo expleret conditionem operandi illo modo; ex iustitia deberetur illi præmium promissum. Patet; Nam concurrerent omnes iusti meriti conditiones.

Dices; Illa opera non essent ex motione & gratia præueniente Spiritus sancti; & secundum se non essent proportionata bonis supernaturalibus: ergo non essent meritoria.

Respondeo;

5
Tertia, ex parte accipiantis.

6
Probatur ex Scriptura.

7
Incarnatio sine pacto, non faceret Christi opera esse meritoria.

6
Poterat mereri sine gratia habituali.

7
Erat tamen necessaria ad maiorem perfectionem.

7
Absolute mereri poterat per opera naturalia.

*Est non
Physice,
moraliter
tamen hac
essent pro-
portionata
mercedi.*

Respondeo; Et si secundum esse physicum & reale, non essent proportionata tanta mercedi; tamen secundum esse morale maxime essent proportionata. Nam ex dignitate Personae operantis essent opera infinite grata: ergo moraliter essent magis proportionata mercedi supernaturali, quam opera quae in substantia sunt supernaturalia. Nam dignitas personae plus confert ad meritum, quam qualitas & conditio naturalis ipsius operis: unde facile compensat omnem imperfectionem, quae est ex parte operis. Quod Confirmatur; Quia humanitas, hoc ipso quo assumpta est, & effecta natura personae diuinae, habet talem respectum ad gratiam & gloriam, vt ei quodammodo tamquam proprietates naturales debeantur: ergo paritate ipsa bona opera, hoc ipso quo a tali persona procedunt, habent sufficientem proportionem meriti ad dona gratiae & gloriae. Quare accedente promissione, perficietur in eis ratio meriti.

DVBIVM III.

Quibus operibus Christus meruerit?

Respondeo & Dico Primo, Certum est non meruisse per actus proprios diuinae voluntatis: voluntas enim diuina cum sit suprema, non potest esse capax meriti, sicut nec praemij.

*Non me-
ruit per vo-
luntatem
diuinam.*

Dico Secundo; Actus humanitatis Christi non habent formaliter vt essent meritorij a voluntate diuina. Patet; Quia quando vnus actus fit formaliter meritorius per alterum; totum meritum proprie est in illo a quo alter tamquam a causa processit, & extrinsecè denominatur: vt videre est in actu externo & interno: externus enim actus dicitur meritorius ab interno, in quo est tota ratio meriti. Atqui in actu diuinae voluntatis non est meritum: ergo &c.

Confirmatur; Quia, vt supra dictum est, Actus humanitatis Christi non sunt liberi per voluntatem diuinam: ergo nec meritorij. Patet Consequencia; Quia ab eodem actu est libertas & meritum.

*Sed per
actus libe-
ros huma-
nitatis.*

Dico Tertio, Christus meruit per omnes actus liberos, siue a voluntate humana, siue ab alijs potentijs elicitos. Est communis, & certa.

Probat; Quia omnes hi actus erant liberi & honesti, & in persona infinite grata, perfectoque modo operante, aderatque promissio: ergo &c. Secundo, Quia, Vel erant eliciti a virtutibus supernaturalibus; & ita erant per se meritorij: Vel erant eliciti a virtutibus ordinis naturalis; & sic ex dignitate personae efficiebantur meritorij; praefertim cum Christus semper per charitatem omnia opera sua in Deum referret, omnia faciens ad maiorem Patris gloriae, quia perfecto modo operabatur: Vel denique erant actus imperati a voluntate, sicut omnes actus externi, labores, ieiunia, lachrymae, & similia; & hi actus etiam erant meritorij, eo videlicet modo quo erant liberi: Erant autem liberi per denominationem extrinsecam, quatenus libera voluntate imperati, vel permisi: quare etiam eodem modo erant meritorij.

*Non per
beatificos.*

Dico Quarto, Christus non meruit per actus humanitatis, qui nullo modo sunt liberi; vt per visionem beatificam, & amorem beatificum. Ratio est; Quia libertas est conditio omnino ne-

cessaria ad meritum. Contrarium tenent quidam Nominales. Petrus de Alliaco & Iacobus Almainus, qui exultant libertatem requiri ad meritum, non ex natura meriti, sed ex lege Dei positua, qua Christus non adstringebatur; vel quia erat Filius naturalis, vel ex dispensatione. Sed contrarium ostensum est 1. 2. quaest. 114. artic. 3. Ratio enim meriti postulat vt sit liberum: quia meritum est veluti pretium quoddam, quod quis de suo confert vt obtineat praemium: ergo requirit vt is, qui meretur, sit eius Dominus. Nam quod quis necessario facit, non confert de suo. Unde non pendet hoc ex aliqua lege positua. Idem docent Doctores in 3. dist. 18. Adde: Christi meritum non fuisse fundatum in aliqua exemptione seu dispensatione, in ijs quae ad rationem meriti sunt necessaria.

*Petrus de
Alliaco &
Almainus
restituunt.*

Dices; Si Christus non meruit per actus non liberos: ergo non meruit per amorem Dei: nam necessario Deum amabat.

*An meru-
it per
Amorem
Dei.*

Respondeo; Quidam admittunt Christum non meruisse per amorem Dei, sed solum per amorem proximorum, & alia virtutum opera. Ita Alexander Aletius 3. p. quaest. 17. memb. 2. Et Scotus dist. 18. quaest. vnica ad 2. insinuat esse probabile quod Christus non meruit per portionem superiorem; id est, vt versabatur immediate circa Deum.

*Negat Ale-
xander
insinuat
Scotus.*

Sed contra; Quia Patres referunt Christi meritum potissimum in eximiam eius charitatem erga Patrem: quod etiam ipse indicat Ioan. 14. vers. 31. *Vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem; & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio; surgite eamus: scilicet obuiam hostibus.* Dico ergo, Christum meruisse per actum amoris qui sequitur visionem beatificam, non vt hic amor necessario terminatur ad Deum perficiens beatitudinem; sed quatenus extendebat se ad alia quae in Verbo videntur; vt bene docet Scotus supra: nam ad haec liberè se poterat iste amor extendere per quoddam additamentum. Secundo, Quatenus simplici complacentia poterat in Deum ferri; vt supra quaest. 18. artic. 5. dictum est: quae complacentia sic explicatur: Etiam si non necessitaret, tamen vellem Deum summe amare. Tertio, Praeter amorem qui sequitur visionem beatificam, erat in Christo alius quidam amor Dei omnino liber, sequens scientiam infusam; & hic erat maxime meritorius. Quod insinuat D. Thom. art. 3. ad 1. Dicens Christum meruisse per charitatem Dei, non vt ea erat comprehensoris, sed vt viatoris.

*Affirma-
tur.*

DVBIVM IV.

Quanto tempore Christus meruerit?

Respondeo & Dico Primo, Meruit in primo instanti suae Conceptionis. Docet id D. Thom. infra quaest. 34. art. 3. & in 3. dist. 18. Vbi etiam Scotus, Bonaventura, Richardus, Gabriel, & alij cum Magistro: & immerito Durand. quaest. 2. dubitat. Colligitur ex Patribus, qui docent illum ab initio fuisse omnino plenum gratia, ita vt crescere non potuerit.

*10
Meruit
primo in-
stanti suae
Conceptionis.*

Probat; Primo, Ex Scripturis: Ad Hebraeos 10. vers. 6. *Ingrediens mundum dicit: sacrificium & oblationem noluiisti, corpus autem praeparasti mihi; locutionem autem, & pro peccato non tibi placuerunt; tunc dixi.*

K k ij

dixi. *Ecce venio, in capite libri scriptum est sic me ut faciam Deum voluntatem tuam.* Et subdit: *In qua voluntate sanctificati sumus.* Atqui in ipso instanti Conceptionis ingrediebatur mundum: ergo tunc dixit se velle facere voluntatem Patris.

Probatur Secundò, Ratione; Nam à principio habuit perfectum usum rationis & libertatis; vt suprà qu. 7. art. 2. dub. 4. & ibid. art. 12. dub. 3. ostensum est: quia non tantùm habuit visionem beatificam, sed etiam scientiam infusam, in cuius vsu non dependebat à phantasmatis: ergo tunc habuit omnes conditiones necessarias ad merendum; ac proinde re ipsa meruit. Confirmatur, Quia tunc cognouit voluntatem Dei mittentis illum in mundum; & omnia beneficia humanitati suæ collata; & non habebat impedimentum quò minus statim diuinæ voluntati posset consentire; & erat præditus summâ gratiâ Spiritus sancti, quæ nescit tarda molimina: ergo re ipsa tunc consentit, & meruit. Confirmatur Secundò, Quia ex sententia communi Doctorum & D. Augustini, Angeli in primo instanti suæ creationis meruerunt: ergo multò magis Christus, qui in supernaturalibus donis, & eorum vsu longè Angelos antecellit.

Toto tempore vite.

Dico Secundò, A primo instanti Conceptionis vsque ad instans mortis continuò meruit Dominus, saltem per actus internos sibi immediatè succedentes. Est communis Doctorum, præsertim hoc tempore: & ex Veteribus nemo negat. Probatur, Quia Christus semper fuit in actuali vsu scientiæ infusæ, vt suprà dictum est: nam ita fit in Angelis. Ergo pari ratione semper fuit in vsu alicuius virtutis infusæ. Secundò, Quia hoc est longè perfectius; & ab hac perfectione non impediebatur vel somno, vel alijs occupationibus; sicut nec à visione & amore Dei: nam vsus scientiæ infusæ non pendeat à phantasmatis, Tertio, Quia non decebat vt Christi virtutes, vel vno momento essent otiosæ: semper ergo erat in ipso bonorum operum successo.

In ultimo instanti vite.

Dico Tertio, Sicut Christus in primo instanti meruit, ita valdè probabile est meruisse etiam in vltimo. Probatur, Quia valdè probabile est dari vltimum instans vitæ: quod tenere debent omnes, qui ponunt animam non excludi per inceptionem alterius formæ; sed per solam destinationem necessariorum dispositionum: nulla enim est ratio cur negent dari vltimum instans formæ prioris, nisi quia oportet dari primum instans formæ succedentis. Atqui homine moriente nulla forma succedit; vt docent omnes Medici, cum plerisque Philosophis: ergo datur vltimum instans vitæ. Atqui Christus adhuc tunc erat viator, habebatque usum rationis, qui tormentis non poterat absorberi: ergo poterat mereri. Si quis tamen neget dari vltimum instans vitæ, is fatetur debet etiam non dari vltimum instans in quo Christus meruit, sed tempus indeterminatum.

II Non tamen in ipsa morte.

Dico Quarto, In ipsa morte, seu animæ separatione, siue hæc facta sit in instanti, siue in tempore indeterminato, quod erat post vltimum instans vitæ, non meruit quidquam; similiter nec post mortem deinceps. Prior pars probatur; Quia si datur vltimum instans vitæ, certè post illud non potest esse meritum; quia anima tunc est separata. Terminus autem merendi idem est qui viuendi hac vita mortali, vt passim docent Doctores & Patres. Et apertè conuincitur ex Scri-

pturis post hanc vitam nullum esse meritum: vt 2. ad Corinth. 5. Eccles. 11. & 14. & alibi. Si autem non datur vltimum instans vitæ, necessè est dari primum instans mortis, seu quo homo non viuuit: ac proinde cum hoc quoque instans sit post hanc vitam, & anima tunc sit separata, tunc non potest esse vllum meritum. Confirmatur; Quia oblatione Crucis, Christus totum Redemptionis negotium compleuit; vt patet ad Hebr. 9. v. 12. *Per proprium sanguinem semel intravit in sancta, æterna redemptione inuenta.*

Sed contrà. Obijcitur Primò, Christus nos redemit per suam mortem: ergo per ipsam meruit & satisfecit: ergo meruit in instanti mortis.

Respondeo ex D. Thoma infrà quæst. 50. art. 6. Christum redemisse nos per mortem suam, vt erat in fieri, non vt erat in facto esse; id est, redemit nos per passionem tendentem vsque ad separationem animæ & corporis; non tamen per ipsam separationem, quæ erat terminus extrinsecus Passionis, in quo extrinsecè terminatum fuit Christi meritum, sicut & vita ipsius.

Addit Caietanus: Etsi mors ipsa, vt est separatio animæ à corpore, non sit secundum se meritória, tamen considerata vt coniuncta toti Passionis præcedenti, & vt eadit sub eundem actum voluntatis, quo Passio fuit volita; hoc modo etiam ipsa mors est meritória: Similiter & mors Martyris. Sed propriè loquendo totum meritum solum durat, quam diu durat vita. Quæ post vitam fiunt, non censentur meritória, ne extrinsecà quidem denominatione: alioqui etiam Resurrectio, Ascensio, Sessio ad dextram Patris, essent meritória: hæc enim omnia actu meritório priùs fuere volita.

Obijcitur Secundò, Ex vulnere lanceæ fluxere Sacramenta; vt passim docent Patres, Cyrillus, Chryostomus, Theophilactus, & alij in illum locum Ioan. 19. August. Tract. 120. in Ioannem. Et Leo epist. 4. cap. 6. *De latere ipsius fluxerunt sanguis redemptionis, & aqua baptismatis.* Atqui Sacramenta nituntur meritis Christi: ergo Christus tunc meruit.

Respondeo; Ob hoc argumentum quidam putarunt illud vulnus inhiectum Christo adhuc viuenti. Sed hoc est apertè contra Euangelium Ioan. 19. estque damnatum in Concilio Vienne[n]si; vt patet ex *Clementina vniuersa, de Summa Trinitate & Fide Catholica.* Dico ergo; Christum non meruisse illo tempore quo vulnus infligebatur; quia tunc erat extra statum merendi: sed meruit in vita, quando illud præuidens acceptauit pro hominum salute.

Dicuntur autem à Patribus Sacramenta fluxisse ex latere, secundum quandam analogiam: nam ille sanguis, & illa aqua, erant symbola Sacramentorum, quæ in Christi passione fundantur: in aqua enim consistit baptismus, in sanguine Eucharistia. Pari modo in eadem *Clementina Ecclesia* ex latere Christi dicitur formata Ecclesia; quod *idem formata.* etiam apud plerosque Patres inuenitur. Quia Ecclesia formatur his duobus Sacramentis: Baptismo nascitur, accipitque vitam; Eucharistiã alitur & conseruatur.

DVBIVM V.

Virum Meritum & Satisfactio Christi, fuerint infiniti valoris?

13
Negas Durandus.

Scotus & Gabriel.

Verius affirmatur.

Clemens VI.

Merita Christi esse sufficienti pro quantumvis multis & gravibus peccatis.

Dignitas operantis, est veluti forma datus esse merito.

Q Vidam censent non fuisse infiniti valoris. Quod insinuat Durandus in 3. dist. 20. q. 2. dum ait, Christum non potuisse reddere Deo aequivalens pro beneficijs acceptis. Idem repetit in 4. dist. 15. q. 1. Supponit igitur opera eius non esse infiniti pretij. Idem expresse docet Scotus & Gabriel in 3. d. 19. & 20. & in 4. d. 15. Ait enim Scotus, Velle Christi, in quo omne meritum cum omnibus suis respectibus, est finite perfectionis. Addit tamen Scotus, tantum valuisse ipsius meritum, quantum Deus illud acceptavit. Et quamvis ex parte operis non habuerit congruitatem ut acceptaretur pro infinitis, tamen ex parte personae habuisse. Sed contraria sententia est communis, praesertim hoc tempore. Pro qua,

Dico Primo, Singula Christi opera, ut ab ipso procedebant, erant infiniti pretij & aestimationis in ratione Meriti & Satisfactionis coram Deo. Ita passim Theologi d. 19. & 20. vbi Bonaventura, Richardus, Paludanus, Capreolus, & alij: & in 4. dist. 15. D. Thomas supra q. 1. a. 2. & infra q. 46. a. 5. ad 3. vbi ait: *Minima passio Christi sufficiebat ad redimendum totum genus humanum.* Alexander Halensis 3. parte sua Summae q. 17. memb. 3. & 5. Guilielmus Altisiodorens. lib. 3. Summae Tract. 1. cap. 8.

Probatum Primo, Per Extravagantem Clementis VI. quae incipit, *Vnguentum.* Vbi ait, *Quod gutta sanguinis modica, propter unionem ad Verbum, pro redemptione totius generis humani sufficere: ergo ex se erat infiniti pretij.* Vnde ibidem ait, *Theaurum Ecclesiae esse infinitum, quem Christus suis meritis, & satisfactionibus acquisivit.* Idem insinuant Patres infra citandi. Neque hic recurri potest ad acceptationem; quia acceptatio non tribuit rei valorem & dignitatem; sed res ob suam dignitatem & valorem acceptatur: vnde supponitur acceptationi: alioquin dicere possemus, quoduis bonum opus hominis iusti, esse sufficiens pro redemptione salutem duorum vel trium hominum; quia potest a Deo ad hoc acceptari. Quod est contra modum loquendi Scripturae & Patrum.

Probatum Secundo, Ratione: Prima, Quia merita & satisfactiones Christi, ex parte sua sufficienti pro peccatis quantumvis multis & gravibus, hominum quantumvis multorum: ergo sunt infiniti pretij. Antecedens est omnino certum, quia Scriptura passim dicit Christum satisfecisse pro peccatis totius mundi; quibus verbis insinuat infinita efficacia pro quantumvis multis: tum, quia possemus merere ne tandem ita cresceret peccatorum mensura, ut meritum Christi non sufficeret. Consequentia patet: & Confirmatur a simili. Quia si aliqua pecunia esset tanti valoris, ut per eam possent coemi res quaecumque quantumvis multae, ea esset actu infiniti pretij: ergo similiter Christi merita.

Secunda Ratio: Persona operans erat infinita dignitatis: ergo quodlibet eius opus erat infinitae aestimationis. Patet Consequentia; Quia persona secundum totam suam dignitatem influit in opus; est enim veluti intrinseca forma ipsorum

operum, quatenus sunt meritoria vel satisfactoria. Cuius signum est, quod nullum opus, quantumvis perfectum aut supernaturale, sit meritorium aut satisfactorium; nisi persona operans sit grata; ut ostensum est 1. 2. quaest. 114. vnde dignitas operantis videtur esse quasi ultima forma, quae dat esse merito & satisfactioni: vti statim infra hum. 15. in responsione ad obiectionem, latius patebit.

Tertia Ratio: Si illa persona non tribueret suis operibus infinitum pretium, fieri posset ut opus factum a persona creata, esset parae aestimationis, imò & maioris coram Deo, quam opus Filij Dei. Patet sequela; Quia omni finito, seu habenti certam mensuram, potest dari aequale & maius: atqui hoc est absurdum, & contra Patres citatos quaest. 1. artic. 2. qui dicunt Incarnationem fuisse necessariam ad nostram Redemptionem.

Dico Secundo, Etsi Christi merita sint absolute infinita, tamen reipsa non destinavit illa ad effectum aliquem simpliciter infinitum obtinendum, sed tantum secundum quid infinitum. Explicatur; Est certa aliqua mensura peccatorum, quam omnes homines erant facturi, & poterant facere. Item, est certa mensura gratiae, quam Deus in sua dispositione praeparavit, paratus eam conferre. Ad haec, peculiariter retulit Christus suum meritum & satisfactionem.

Probatum Primo, Quia omnis prudens ordinat opera & merita ad effectum possibilem, & rationi consentaneum: sed effectus possibilis, non est absolute infinitus: quidquid enim in particulari possibile est, certa mensura definitur. Secundo, Christus non obtulit suam satisfactionem pro peccatis daemonum; quamvis si eius dignitas spectetur, pro illis sufficeret: vnde etiam potuisset ad illa delenda ordinari, si Deo placuisset. Similiter, non obtulit sua merita, ut daretur hominibus tanta gratia & gloria, quantam ipse habebat: quamvis ad hoc, ratione sui pretij, non essent inutilia.

Aduerte tamen, Illum ordinasse sua opera ad quosdam effectus, qui requirebant meritum absolute infinitum, licet illi merito non adaequarentur: ut, ad remissionem culpae mortalis, quae comparatiue est infinita; & ad remissionem peccatae aeternae.

Contra. Obijcitur Primo, Quantitas meriti confurgit non solum ex dignitate merentis, sed etiam ex alijs circumstantijs quae concurrunt: atqui quando plura huiusmodi concurrunt, quamvis vnum sit infinitum, si reliqua sint finita, effectus est finitus: nam tunc quod est infinitum, limitatur ab alijs, ut non infinito, sed finito modo concurrat. Quod patet exemplis: Nam visio beatifica, est finita, licet obiectum eius & species intelligibilis, sint infinita; quia intellectus & lumen gloriae sunt finitae efficaciae, ac proinde limitant concursum obiecti & essentiae diuinae. Pari modo, Actus charitatis est finitae bonitatis & meriti, etsi obiectum eius sit infinitum, quia eius influxus ab alijs concurrentibus limitatur: & tamen obiectum magis videtur conferre ad augmentum bonitatis actus, quam persona operans: quia obiectum tribuit actui speciem; ipsa autem persona praecise nihil actui confert.

14
Merita Christi non sunt definita ad effectum simpliciter infinitum.

Remissio culpae mortalis, & peccata aeterna requirunt meritum absolute infinitum.

15
Obiectio



Dignitas persona non potest aliter de limitari quo minus totam suam dignitatem operi impendant.

Respondeo; Negando Antecedens: Eri enim multa sint quæ concurrunt ad augmentum meriti, tamen hoc non impedit quò minus persona tribuat merito infinitum valorem: nam persona operans secundum totam dignitatē suam, quantum potest influit in actum. Nam ipsa, per se ipsam, est veluti vltima forma & cōplementum, conferens dignitatem & valorem actui meritorio & satisfactorio, vt talis est: vnde ab alijs circumstantijs non limitatur. Et ratio est; Quia in merito & satisfactione, non solum ipsa operatio veluti in abstracto considerata exhibetur; sed etiam persona operans submittit sese in obsequium alterius, apud quem meretur, vel cui satisfacit. Vnde si persona operans sit infinitæ dignitatis, confert operi infinitum valorem in ratione meriti, & satisfactionis: pluris enim tale obsequium estimatur apud Deum, quàm si infiniti homines iusti obsequium Deo præstarent. Quod etiam patet exemplis humanis: humile enim obsequium factum alicui à Principe, sine comparatione pluris estimatur, quàm factum à multis plebeis. Secus autem est in obiecto, & alijs circumstantijs extrinsecis: obiectum enim non tribuit actui tantam dignitatem quantum potest, nec influit in illum quantum potest; sed maiorem vel minorem pro variâ habitudine actus ad obiectum; vt videre est in amore Dei: quò enim amor perfectius vnit Deo, eò maiorem ab obiecto suo trahit dignitatem. Similiter alię circumstantię extrinsecę, non tribuunt totam suam dignitatem actui. Intensio autem actus, quia est circumstantia intrinseca augens meritum quantum potest; si esset infinita, aueret etiam meritum infinite, sicut persona: sed hæc infinitudo est impossibilis. Quare cum dignitas personæ, secundum estimationem moralem tantum faciat, quantum intensio: auerbit sine dubio infinite.

Obiectum non tribuit actui tantam dignitatem, quantum potest.

Dices; Si dignitas personæ est veluti intrinseca forma meriti & satisfactionis: ergo quisque meretur quolibet actu tantam gratiam, quantum habet. V. g. qui habet gratiam vt centum, & facit actum remissum vt vno, merebitur centum: nam dignitas operantis tantum auget meritum, quantum ipsa est.

Dignitas persona in tantum auget meritum, in quantum ipsa in opus influit.

Respondeo, Dignitas personæ non censetur intrinseca forma meriti, quando non concurrat tota suo modo ad opus: vt, sicut cum habens gratiam vt centum, facit actum charitatis vt vnum, hic non tota gratia concurrat ad actum quantum potest; quare non meretur centum: auget tamen ceteris paribus meritum; quia actus, quò à digniore procedit, hoc ceteris paribus est maioris meriti; licet illa dignitas sit solum extrinsecum ornamentum personæ operantis. Persona autem Filij Dei, tota, & secundum totam dignitatem suam, concurrat ad singula opera: vnde auget meritum quantum potest, & quasi secundum totam latitudinem & perfectionem suam; quia est ipsum suppositum operans. Simile esset, si illa gratia vt centum, constitueret ipsum suppositum operans seu personam operantem. Aduerte tamen; Meritum non esse tantæ dignitatis aut bonitatis, quantum est ipsa persona: quia dignitas meriti, est moralis; & solum in ratione meriti & satisfactionis infinita: Personæ autem dignitas, est naturalis, & simpliciter infinita in ratione entis. Meritum tamen est tantæ dignita-

Aliter rationem meriti, aliter persona est infinita.

tis & bonitatis in ratione meriti, quantum persona in ratione entis.

Obijcitur Secundo: Si quodlibet opus Christi est infinitum in vi merendi; sequerentur tria incommoda. Primum; Christum non plus meruisse tota vita, quàm primo momento; nec opere perfectissimo, plus quàm minus perfecto; nec magis nos redemisse sua passione, quàm quauis aliâ actione. Quod videtur contra Scripturam, quæ nostram redemptionem vbique soli passioni tribuit: vt ad Rom. 3. v. 25. *Quem proposuit Deus propitiationem, per fidem in sanguine ipsius.* Item c. 4. & 5. ad Gal. 3. ad Hebr. 2. 9. 11. Alterum incommodum, Christum plus meruisse quàm Deus possit rependere; quia Deus non potest rependere mercedem infinitam: cum tamen hæc sola sit merito infinito commensa. Tertium, Hominum merita & satisfactiones non esse necessarias; imò omnes homines esse saluandos, sine vilo suo merito aut satisfactione: hoc enim, & multo amplius, debitum est merito infinito.

16
Obiectum incommoda.

Ad primum incommodum, Respondeo; Eri Christi opera secundum intrinsecam suam & realem bonitatem sint inæqualia; tamen ratione dignitatis personæ, omnia erant æqualis valoris & meriti. Nam tota personæ dignitas afficiebat singula opera quatenus meritoria, tamquam vltima ipsorum forma; ita vt bonitas intrinseca esset in se materia. Quod explicatur Exemplo: Si Rex constitueret vt omnis pecunia regio signo impressa, valerit aureum, cuiuscumque demum esset metalli; tunc quæuis pecunia esset alteri æqualis ratione signi; quamuis ex parte materiæ esset inæqualitas. Ita Christi merita, etsi ratione materiæ seu operis, sint inæqualia; tamen trahunt æqualem dignitatem à diuinâ personâ, quæ veluti caractere insigniuntur.

17
Responso ad primum incommoda operum inæqualitas.

Intrinseca bonitas operum Christi se habet in materia, & dignitas personæ in forma.

Dices; Hinc tantum sequi fuisse æqualia in valore ex parte personæ; non autem simpliciter: sicut patet in moneta aurea & area eiusdem signi; aurea enim simpliciter melior est.

Respondeo Negando id sequi. Ratio est; Quia persona confert illis meritis infinitam dignitatem; Infinitudo autem ista tollit inæqualitatem, quæ antea illis ratione materiæ inerat; quia infinitudo ista continet eminenter omnem illum materiæ valorem. Sicut enim Deus & creatura simul, non est intensiue quid melius aut præstantius, quàm Deus solus; ita meritum operis, quod est ex bonitate intrinsecâ, & quod est ex dignitate personæ, non est maius intensiue, quàm quod est ex solius personæ dignitate. Vnde etiam, licet in omnibus Christi operibus esset plus meriti extensiue, quàm in vno; seu potius, licet essent plura merita; tamen non erat plus meriti intensiue. Neque verum est, quod dici solet, multitudinem meritorum æquivalere intensiui; nisi in meritis finitis. Hinc quoque fiebat, vt multis meritis non mereretur amplius quàm vno: nec sequentiibus mereretur aliquid noui, quod non meruerat opere præcedente; sed semper idem mereretur: nouis tamen & pluribus titulis: vt rectè docet D. Thomas infra q. 34. a. 3. ad 3. Et communiter Doctores cum Magistro in 3. dist. 18.

Omnia opera Christi non habent plus meriti intensiue quàm vnum.

Aduerte tamen; Christum non obtulisse singula opera sua, tamquam meritum totale & cōsummatum totius præmij; id est, pro nostrâ redemptione; sed tamquam partiale. Obtulit enim omnem vitam

Omnia Christi merita habent rationem vnius intensiue respectu nostre redemptionis.

nes vitæ suæ actiones & perfections per modum vnius continuati meriti in passione & morte cõplendi, pro redemptione nostrâ, tamquam ad æquato præmio. Sic enim diuinitus constitutum erat, vt non singulis operibus nos perfectè redimeret, (quamuis singula ex se sufficerent) sed dũtaxat passione: ita vt in termino passionis, id est, in morte, illud meritum completeretur, & nostra redemptio esset perfecta. Vnde omnes Christi actiones & perfections ab initio Conceptionis vsque ad instans mortis, ex ordinatione diuinâ, & Christi relatione, habent rationem vnius integri meriti, respectu nostræ redemptionis; vt rectè docet Scotus in 4. dist. 1. q. 3. a. 5.

Hinc patet, cur potissimum Passioni nostra tribuatur Redemptio in Scripturis. Nempe tũm, quia in ea consummata est; tũm, quia singulari modo à Deo ad hoc ordinata, & à Christo acceptata & relata: idque vt offenderetur nobis & peccati grauitas, & Dei in nos charitas, & daretur exemplum omnis patientiæ & obedientiæ.

Ad Secundum incommo- dum, Respõdeo breuiter: Si Christi meritum consideretur secundum pretium omne quod habet; sic nullis bonis creatis ad æquilibrium potest rependi: posset tamen bono increato, v. g. vnione hypostaticâ alterius personæ diuinæ compensari, si ad hoc promerendum Christus meritum suum, dispensatione diuinâ destinasset. Si autem consideretur, quatenus suberat eius intentioni, quâ illud referebat ad nostram redemptionem; sic ex æquo compensari potest. Quando autem meritũ dicitur infinitũ, consideratur secundum suam dignitatem & valorem, quem per se habet; non autem secundum actualẽ relationem merentis.

Ad tertium; Hæretici admittunt totum: scilicet non requiri nostra merita vel satisfactiones ad salutem; eò quod Christi merita & satisfactiones sint sufficientissimæ; vt pote infinitæ. Sed si hæc Ratio valeret; sequeretur nec fide, nec Sacramentis opus esse ad salutem. Item, creaturis ad suam perfectionem non esse opus vllâ operatione aut functione; eò quod virtus diuina sit infinita.

Quare dicendum est, Christum non voluisse sua merita & satisfactiones, salutem hominibus adferre, sine vllâ applicatione per Sacramenta, aut absque illorum cooperatione; nec eã mente illa Patri obtulisse. Sed in paruulis requiri applicationem per Sacramenta; in adultis etiam cooperationem. Ratio est: Primò, Quia alioqui daretur hominibus summa occasio negligentiae, & supinæ securitatis; imò præberetur licentia ad omnia peccata. Secundò, Quia maior Christi virtus ostenditur, dum non tantum ipse meretur, satisfaciunt, & saluat nos; sed etiam dat nobis virtutem merendi, satisfaciendi, & operandi nostram salutẽ. Sicut maior ostenditur Dei potentia, dum non tantum ipse agit, & mouet nos; sed etiam dat creaturis virtutem agendi. Tertio, Quia hominibus gloriosius est vt non tantum per aliena merita saluentur; sed vt ipsi quoque sibi sint causa salutis, licet secundaria.

Sed vt hæc melius intelligantur; Notandum est; Christum obtulisse sua merita, vt essent veluti causa vniuersalis humanæ salutis in genere mortis: sicut omnipotentia Dei, est causa vniuersalis perfectionis rerum, in genere entis. Vnde sicut ab omnipotentia Dei, producta est, & assidue

pendet omnis vis creaturæ; ita à Christi meritis pendet omnis virtus merendi in nobis. Et sicut vis creaturæ, est ab omnipotentia Dei, vel immediatè, vt per creationem; vel mediante causa secunda, scilicet cælo, elementis, feminibus &c. ita vis merendi in nobis, est à meritis Christi; vel immediatè, vt per gratiam præuenientem cui consentimus: vel mediatè, vt per Sacramenta. Rursus, sicut in omni operatione creaturæ, cooperatur omnipotentia Dei; ita in omnibus operibus nostris, cooperatur meritum Christi. Vnde sicut omnipotentia diuina, non ducit res ad perfectionem, sine illarum cooperatione; ita nec meritum Christi, ad salutem adducit, sine illorum cooperatione.

DVBIVM. VI.

Utrum in Christi Meritis & Satisfactione fuerit perfecta iustitia?

Doctores qui existimant Christi merita non fuisse infiniti valoris, etiam negant in illis cerni rationem perfectæ iustitiæ. Ita Durandus in 3. dist. 20. q. 2. & in 4. d. 15. q. 1. Gabriel & Scotus in 3. dist. 19. Ratio est; Quia Meritum & Satisfactio Christi tota pendeat ex acceptatione gratiæ Dei, qui dignatus est Christi opera, ad nouum meritum acceptare; cum alioquin essent debita ratione beneficiorum, quæ Christus in humana natura acceperat. Deinde; Quia secundum se, non erant equalia præmio, ad quod refererentur; sed solum ex acceptatione diuinâ.

Altera sententia est communior Theologorum, Christum meruisse & satisfecisse secundum exactã iustitiam. Cuius sententiæ veritas patebit, cum ostensum fuerit in illis omnes conditiones perfectæ iustitiæ fuisse. Hæc autem sunt quatuor. Prima, vt sit æqualitas. Secunda, vt ex proprijs. Tertia, vt ex indebitis alio titulo. Quarta, vt sit ad alterum.

Nunc, Dico Primò, In Christi Meritis & Satisfactione fuit æqualitas; imò magnus excessus ad offensam, & bona supernaturalia gratiæ & gloriæ. Ita passim Doctores in 3. dist. 20. Bonauent. Richardus, Paludanus, & alij supra dub. 5. num. 13. citati: & videtur omnino certum.

Probat; Ad Romanos 5. Apostolus fusè docet obedientiam & meritum Christi, longè potentius esse ad saluandum, quàm Adæ inobedientia ad damnandum, Cuius signum est, quod Christi meritum delectat non solum Adæ peccatum; sed etiam omnia postea superinducta: Adæ autem inobedientia, tantummodò vnum adferat nobis peccatum. Vide D. Chrysostomum in hunc locum, qui hoc optime explicat. 1. ad Cor. 6. v. 20. *Empti estis pretio magno; & cap. 7. v. 23. Pretio empti estis; & 1. Petr. 1. v. 18. Non corruptibilibus auro & argento redempti estis, sed pretioso sanguine, quasi Agni immaculati, Christi. At pretium, non diceretur magnum, nisi vt minimũ esset æquale. Nam si quis pro regno Hispaniæ daret centum millia aureorum, pretium non diceretur magnum, quia non esset æquale: sed tunc solum dicitur pretium magnum, quando excedit rem emptam. Similiter non diceretur emptio, nisi esset saltem æqualitas in pretio: nam alioqui esset donatio, saltem ex parte. Idem patet ex epist. ad Hebr. potissimũ cap. 9.*

Passioni tribuitur nostra redemptio.

18 Responso ad secundum incommo- dum.

Meritis Christi quatenus suberant eius intentioni, reddi possunt æquale.

19 Responso ad Tertium incommo- dum.

Christi merita non excludunt bona nostra opera.

Sunt causa vniuersalis nostra salutis.

20 Sententia negans.

Affermans variat.

Quatuor conditiones perfectæ iustitiæ.

Prima conditio; æqualitas, imò excessus meritorum Christi ad offensam.

Scriptura.

cap. 9. & 10. ubi probat Apostolus solum Christi sacrificium fuisse sufficiens peccatis delendis. Huc etiam facit illud Psal. 139. *Copiosa apud eum redemptio*: quod expendit ibidem Augustinus, & Agapitus Papa in epist. ad Euthymium.

Patres.
Athanas. Secundò Probatur Ex Patribus. Athanas. lib. de Incarnat. Verbi, pag. 4. à principio: *Idèò corpus quod mori posset, sibi assumpsit, ut illud Verbi participet effectum, pro omnibus ad plenam satisfactionem, morti sufficeret: quod deinde elegantissimè explicat.*

Basilian. Basilus in illud Psal. 48. *Frater non redimit, redimet homo: Quid, inquit, homo tantum inuenire potest, ut det pro redemptione anima sue? sed inuentum est vnum omnibus simul comparandum, quod datum est in pretium redemptionis animarum nostrarum: nimirum pretiosus ille Sanguis Domini nostri IESU Christi, quem pro nobis omnibus effudit.* Deinde causam huius valoris addit, quia non tantum erat homo, sed etiam Deus.

Chrysof. Chrysostomus hom. 10. in epist. ad Romanos: *Quemadmodum, inquit, Si quis in carcerem, quempiam qui decem nummos debet, coniciat; Et simul cum illo, & propter illum, Vxorem, liberos, famulos: veniat verò alius quispiam, qui non solum soluat decem illos nummos, sed etiam innumera auri talenta largiatur: iam non poterit amplius fenerator decem nummorum debitum vrgerè. Ita & nobiscum factum est: multò siquidem plura, quam debeamus, Christus pro nobis soluit; tantoque plura, quanto guttulam exiguam Pelagus immensum excellit. Noli itaque dissidere, o homo, cum tantas bonorum diuitias videas, neque sollicitè inquiras, quomodo scintillula illa mortis atque peccati, tanto donorum superinducto mari, sit soluta & extincta.*

Leo. D. Leo epist. 97. c. 2. *Effusio sanguinis Christi pro iniustis, tam potens fuit ad meritum, tam diues ad pretium, ut si vniuersas captiuorum in Redemptorem suum crederet, nullum Diaboli vincula retinerent.*

His adde testimoniùm Clementis VI. suprà dub. 5. num. 13. citati. Quibus testimonijs, Christi meritis tanta vis tribuitur, non ex acceptatione diuinà, quæ propriè nullum valorem tribuit; sed quia ex se tantæ dignitatis erant, propter dignitatem personæ. Vide dicta quæst. 1. art. 2. dubio 2.

21
Tres abis.
Thianes. Dices Primò; Etiam peccata habebant infinitam malitiam propter dignitatem personæ offensæ. Nam sicut meritum crescit ex dignitate personæ merentis; ita iniuria & offensio crescit ex dignitate personæ offensæ.

Aliter me.
quum cres.
cit ex dig.
nitate per.
sona meri.
sis aliter
iniuria ex
dignitate
personæ
offensæ.
Vnde l. ma.
qualitas
responsi. Respondeo; iniuria seu offensio ita quidem crescit ex dignitate infinita personæ offensæ, ut nullis bonis creatis compensari possit; quia plurius æstimanda est quæuis iniuria Dei, quam omne bonum quod omnes creature possunt facere: non tamen eodem profus modo crescit. Nam persona offensæ habet se per modum obiecti; obiectum autem non influit in actum quantum potest, sed pro habitudine actus ad ipsum. Vnde inter iniurias Dei, vna est altera maior, quia magis vel minus censetur Deus per illà contemni. Persona autem Christi operans influit in meritum & satisfactionem quantum potest: nam habet se instar formæ. Quò fit, ut vni meritum ipsius, nõ sit maius altero. Itaque etsi peccatum habeat quandam infinitatem in suo genere; meritum tamen Christi habet multò maiore; ita ut infinitis peccatis ex aduerso possit opponi.

Dices Secundò; Ut satisfactio sit æqualis of-

fensionem, requiritur ut satisfaciens sit æqualis offenso: atqui hic nõ est illa æqualitas. Nam Christus satisfecit quatenus homo: Deus autem offensus est secundum diuinitatem.

Respondeo; propriè loquendo Christus non satisfecit vt homo tantum, nec vt Deus: sed vt Deus-homo: seu, quatenus est quoddam suppositum humanum, includens humanam naturam & personam diuinam: & sic non est minor Deo.

Dices Tertio; Tantum displicet Deo peccatū, quantum ei placet sua bonitas: atqui opera Christi, non tantum illi placent, quantum sua bonitas: ergo opera Christi non tantum illi placent, quantum displicet illi peccatum. Maior probatur; Quia peccatum ex natura sua est destructiuum Dei: Atqui vnum contrariorum tantum odio habetur, quantum amatur alterum.

Respondeo, Negando Maiorem; Quia peccatum non est tantum malum, quantum bonum est diuinitas. Ad probationem: Peccatum dicitur esse destructiuum Dei, secundum affectum, sed inefficacem. Vnde non est tantum malum, quantum si re ipsa ad hoc esset efficac. Quare Christi merita plus possunt Deo placere, quam peccata displiceant: quia maiorem honorem Deo conciliant, quam peccata subtrahant.

Dico Secundò, Christi satisfactio fuit etiam ex bonis proprijs. Hæc est altera conditio solutionis perfectæ iustitiæ. Si enim quis satisfaciat ex bonis sui creditoris, non satisfaciatur secundum exactam iustitiam: quia interueniet tacita remissio. Probatur; Quia Christus erat absolutus Dominus suarum functionum.

Dices Primò; Omnia bona opera Christi, magis erant Dei, quam Christi hominis: Nam titulo creationis, vel supremæ cooperationis, erant ipsius Dei: nec poterat ea Deus extra suum dominium ponere.

Respondeo; Etsi ad restitutionem damni illati necessarium sit, ut restitutio fiat ex illis bonis, quæ ita sunt debitoris, vt etiam non sint creditoris, (quæ causa est, cur Deo propriè nihil possimus restituere;) tamen ad satisfactionem & meritum, quæ consistunt in actionibus quibus honor defertur, vel voluntas alterius impletur, hoc non requiritur. Hinc seruus satisfaciit Domino, & Filius Patri, & homo Deo: sufficit enim ad hoc, vt is, qui satisfaciit, habeat dominium suarum actionum, ita vt omnino liberè se humiliet, veniam petat, aliisque actiones honorarias obeat; siue alter sit etiam Dominus illarum actionum, siue non. Vnde dominium Dei, quod habet ratione creationis & cooperationis, in opera nostra & Christi, non impedit vllò modo rationem meriti aut satisfactionis; sed tantum restitutionis propriè dictæ. Sicut dominium Dei, quod habet in actionem peccati, non impedit, quin per eandem actionem fiat ei iniuria; quatenus est libera actio, & sub dominio hominis.

Dices Secundò, Ea, per quæ fit satisfactio, debent ita esse propria, vt non pendeant assidue ex gratia eius, cui satisficit: alioqui non erit secundum exactam iustitiam: nam gratia interueniet. Atqui ea, per quæ Christus satisfecit, pendunt assidue ex gratia: ergo &c.

Respondeo, Esse id quidem necessarium ad restitutionem; non autem pari modo ad satisfactionem: in hac enim solum requiritur, vt quis se voluntariè

Christus satisfecit vt Deus homo.

Christi merito magis Deo placet, quæ creatura peccata displicent.

Secunda conditio: Satisfactio ex proprijs.

Triplex obiectio.

Dominium Dei in actiones Christi, nõ impedit satisfactio.

luntariè humiliter, quantum postulat offensio. Pertinet tamen ad quandam satisfactionis exactiorem modum, qui in Christo fuit. Vnde dico, et si opera Christi pendebant ex gratia; id est, ex gratuito & indebito dono respectu humanitatis, non tamen respectu Personae Verbi. Vnio enim hypostatica, vnde potissimum habebant æstimationem Christi opera, erat quidem gratia respectu humanæ naturæ, non tamen respectu Verbi, aut huius hominis, ne quidem per communicationem idiomatum: quia vniri Verbo conuenit naturæ secundum se, & vt prior est quam existat in Verbo: vnde non potest communicari Verbo, vel huic homini: dona verò habitualia, ex quibus illa opera secundum substantiam pendebant, non erant humanitati indebita, supposita iam vnione cum Verbo: sed erant debita, & quasi naturalia.

Dices Tertio; Totus valor Satisfactionis, est à Deo, vt Deus est: ergo à creditore est, cui satisficit: ergo hæc satisfactio non est ex proprijs.

Respondeo, distinguendo Antecedens: si enim intelligatur quod valor meritorum sit à Deo vt Deus est; id est, vt subsistit in diuinitate; sic falsum est: nam hoc modo non communicat meritis suis valorem. Si autem intelligatur quod valor meritorum sit à tota diuina perfectione, quatenus in Filio vnita est humanæ naturæ; sic admitto Antecedens: sed Nego vtramque Consequentiam. Nam hinc tantum sequitur, valorem operum esse ab illa persona, quæ est etiam creditor, sed vt subsistit in natura humana tamquam satisfactor. Eadem enim persona est debitor, & creditor, quatenus subsistit in diuersis naturis. Ad do; parum referre ad iustitiæ rationem, vnde valor operis pendeat, quando ipsam totum opus cum toto suo pretio aut valore est in dominio & potestate voluntatis humanæ; sicut in Christo videmus fuisse: hoc enim sufficit ad rationem satisfactionis & meriti.

Dico Tertio; Christi Meritum & Satisfactio fuit etiam ex indebitis; id est, non erant alio titulo, præsertim iustitiæ, aut æquivalenti debita. Nam alij tituli debitorum, non repugnant iustæ solutioni: vt si debeas alicui alimenta ex iustitiâ, potes ei perfecte satisfacere, quamuis eadem debeas ex præcepto Magistratus vel misericordiæ.

Quare fallitur Durandus dist. 20. q. 2. dum existimat Christum non potuisse exactè satisfacere pro peccatis ad æqualitatem, eò quod omnia ipsius opera essent debita titulo gratitudinis pro beneficijs acceptis; Nam Primò; falsum est, omnia hoc titulo fuisse debita: nec id vllum fundamentum habet; præsertim cum vnica gratiarum actione posset pro omnibus beneficijs satisfacere. Deinde; Etiam si fuisset sic debita, hoc tamen non impediisset solutionem debiti iustitiæ: vt patet exemplis humanis. Tertio, cum opera Christi habeant valorem absolute infinitum; singula erant sufficientia quibusuis debitis exsoluendis, ex quo cumque ea titulo orta essent. Vnde etiam si fingeremus ea alio titulo iustitiæ fuisse debita; tamen erant sufficientissima & illi titulo, & redemptioni humanæ. Ratio est; Quia vnum opus propter illam infinitatem, erat tanti pretij intensiue, quanti plura: sed plura potuissent diuersis debitis ad æqualitatem respondere: ergo & vnū. Plura enim infinita non sunt quid maius intensiue, quam vnū. Vnde hæc conditio, scilicet vt solutio fiat

ex indebitis, non est necessaria ad exactam iustitiæ rationem; nisi quando id quod exhibetur, est finita æstimationis, & idcirco non potest ex æquo pluribus debitis exæquari. Quare hæc conditio non est necessaria ad satisfactionem Christi, quâuis reipsa adsit: quod facit ad cumulum perfectionis illius.

Dico Quarto, Meritum & Satisfactio Christi fuit etiam ad alterum, quantum iustitiæ ratio postulat. Patet hæc propositio imprimis, si comparemus Christi actiones ad Patrem & Spiritum sanctum, qui supposito, naturâ, & voluntate, à Christo homine distinguuntur. Et quia hic modus clarior est, idcirco passim Patres dicunt Christum satisfecisse Patri. Idem sæpius insinuat Scriptura.

Dices; inter Patrem & Filium non est perfecta iustitiæ ratio; vt Aristoteles docet in 5. Ethicorum. Respondeo; Id verum esse apud homines, vbi Filius est inferior Patri, & quasi pars. At Filius Dei, est æqualis Patri, & quasi pars. Et quamuis inter Christum, quatenus est Deus, & inter Patrem, non possit intercedere iustitiæ ratio; tamen quatenus ipse subsistit in aliâ naturâ, sic potest. Sicut etiam apud homines, inter Patrem & Filium potest intercedere iustitiæ ratio, non vt sunt Pater & Filius; sed vt habent alios status, dominia, & iura distincta.

Si autem comparemus Christi satisfactiones ad personam Verbi, & hunc Deum; maior est difficultas: Certum enim est Christum satisfecisse etiam huic Deo, & sibi ipsi: Imò, Primò & per se huic Deo; & consequenter personis: quod insinuatur 2. ad Corinth. 5. v. 19. *Erat Deus in Christo mundum reconcilians sibi: Deus, id est, sempiterna diuinitas*, inquit Ambros. lib. 3. de fide ad Gratianum cap. 5. Multi tamen accipiunt ibi Deum personaliter pro Patre. Clarius 1. ad Timoth. 2. v. 5. *Vnus Deus, & vnus mediator Dei & hominum homo Christus Iesus*. Vbi Deus accipitur vt est communis toti Trinitati; vt docet D. Augustinus Præfatione in secundam enarrationem Psalm. 29. *Quid est mediator esse inter Deum & homines? Non inter Patrem & homines, sed inter Deum & homines. Quid est Deus? Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Inter illam Trinitatem, & hominum infirmitatem & iniquitatem mediator factus est. Confirmatur; Quia etiam sibi ipsi obtulit Sacrificium Corporis sui; vt disertè docet Augustinus lib. 10. de Ciuitate, cap. 20. *Verus ille mediator, cum in forma Dei Sacrificium eum Patre sumat, cum quo vnus Deus est; tamen in forma serui Sacrificium maluit esse, quam sumere. Idem docet Cyrillus in defensione decimi Anathematismi: Non secundum Sacerdotum morem, alteri fecit Sacrificij modum; sed sibi ipsi potius, & Patri. Quod deinde explicat. Vide etiam Ambrosium lib. 3. De fide cap. 5.**

Ratio est; Quia illi fit satisfactio, qui est offensus, & secundum eam rationem considerato quæ est offensus; vt si Papa vel Rex sit offensus, & iniuriæ affectus vt Papa, vel vt Rex, non vt priuatus: Atqui tres personæ fuerunt iniuriæ affectæ primò & per se, quatenus sunt vnus Deus: ergo illis fit satisfactio quatenus sunt vnus Deus: ergo primò & principaliter huic Deo. Minor probatur; Quia vt sunt vnus Deus, gubernant mundum, imponunt leges & præcepta quæ peccatis violantur: & sunt vltimus finis, summumque bonum, à quo peccatum auertit: ergo iniuria peccati primò & per se tangit ipsam diuinitatem. Hinc sequitur, vt satisfactio

Satisficit ex sibi debitis & naturalibus.

Christus diuersimodè est debitor & satisfactor.

23 Tertia conditio: Ex indebitis alio titulo.

Durandus refellit.

24 Quarta conditio: Fuit ad alterum.

Dupliciter actiones Christi comparari possunt. Ad Patrem & Spiritum S.

2. Ad Verbum.

satisfactio sit secundum exactam iustitiam, oportere ut etiam comparata ad hunc Deum communem tribus personis quem primario respicit, & proinde ad ipsum verbum diuinum, habeat omnes condiciones perfectae iustitiae, ac proinde etiam hanc, quae est, esse ad alterum. Eiusdem enim ad seipsum non est vera iustitia nec iniuria.

Ut sit ad Alterum, sufficit actualis distinctio naturarum, & virtutis personarum,

Quod igitur etiam haec conditio adit; Probatur: Nam ad rationem iustitiae non est absolute necessaria distinctio personarum, sed sufficit distinctio naturarum, voluntatum, dominiorum: ideo enim in iustitia requiritur distinctio personarum, quia requiritur distinctio iurium eius qui satisfacit, & eius cui satisfacit: atqui ad hoc sufficit distinctio naturarum liberarum, ad quas consequitur diuersum dominium seu ius. Natura enim humana habet proprium quoddam ius seu dominium suorum actuum, distinctum ab eo quod habet Deus in illos. Distinctio autem personarum, non requiritur nisi consequenter, & per accidens; eo quod diuersae naturae non soleant esse nisi in diuersis personis. Vnde cum per mysterium incarnationis factum sit, ut duae naturae liberae, sint in vna persona; idcirco hic, eiusdem persona, quatenus subsistit in vna natura, potest esse functio iustitiae ad seipsam, quatenus subsistit in alia natura.

Quod Confirmatur Primò, Quia hoc modo sunt hic virtute & aequipollenter duae integre Personae: nam Christi personalitas supplet vicem duarum, terminans duas naturas actu distinctas.

Confirmatur Secundò, Quia haec distinctio actualis naturarum, & virtualis personalitatum, sufficit ut Christus quatenus homo, sit subditus Deo & sibi; sit mediator, sit obediens, cultum patriae & sacrificium exhibeat Deo, & sibi ut Deo: atqui haec non requirunt minorem distinctionem quam ratio iustitiae, sed potius maiorem, praesertim actus patriae.

Dices, Sunt multa peccata contra Christum, quatenus homo est; ut omnia peccata Iudaeorum in ipsum commissa: ergo saltem secundum haec, satisfecit sibi secundum idem; id est, homo homini.

Pro iniuria in proximum semper est Deo satisfaciendum.

Respondeo Negando Consequentiam: Quia Christus pro peccatis obrulit Deo satisfactionem, & quatenus erant iniuria Dei, & iniuria Christi hominis. Quia ad Deum pertinet vindicare, non solum suas, sed & aliorum iniurias; cum sit vniuersalis omnium iudex. Vnde pro peccato, & quatenus est contra Deum, & quatenus est contra proximum, debet fieri satisfactio ipsi Deo. Proximo autem non semper est necessarium satisfacere; quia potest condonare sine satisfactione: & si non condonet, potest tamen remitti, si satisfaciamus Deo. Accedit; quod iniuria Dei, sit praecipua, quae intrinsece in omni iniuria continetur. Vnde omnis iniuria, praecipue est iniuria ipsius; eiusque remissio, ad Deum praecipue pertinet, qui in ceteros omnes, quibus fit iniuria, ius habet, ita ut, etiam ipsi iniuris, possit eam condonare. Vnde pro omni iniuria ipsi duntaxat necessario fit satisfactio.

24 Merita Christi sunt ex perfecta iustitia.

Dico Quintò, Merita & Satisfactiones Christi fuerunt omni ex parte secundum perfectam iustitiam. Sequitur ex dictis; quia habuerunt omnes condiciones perfectae iustitiae. Vide Dictionem d. Captiuitate & redemptione generis humani part. 4. cap. 2. pag. 60. Dominicum Soto

lib. 3. De natura & gratia cap. 6. Et in 4. dist. 19. q. 1. a. 2. Andream Vega lib. 7. in Conc. Trident. cap. 8. & alios recentiores. Plerique veterum Scholasticorum idem sentiunt, quod ad rem attinet; etsi in modo loquendi discrepent. Sed colligitur satis ex supra dictis; & ex modis loquendi Scripturae, vbi Christi satisfactio vocatur *Emptio, Redemptio, Pretium magnum &c.* eiusque meritum comparatur cum demerito Adami.

Dices Primò, Christus non ex iustitiae obligatione, sed ex Charitate & obedientia pro nobis satisfecit: ergo eius satisfactio non est ex iustitia.

Respondeo Primò; Non est necesse ut Christus fuerit obligatus ex iustitia ad satisfaciendum: nam & nos meremur ex iustitia vitam aeternam; tamen non sumus ad hoc ex iustitia obligati. Et qui in ludis olympicis vario certamine vincebat, mercebantur ex iustitia palmas; tamen non tenebantur certare. Ratio est; Quia non dicitur meritum vel satisfactio ex iustitia, quasi ex obligatione iustitiae exhibeatur; sed quia tale est, ut ex iustitia ei debeatur praemium, vel remissio. Secundò, Quia etsi Christi satisfactio non fuerit ex obligatione iustitiae; tamen fuit ex virtute iustitiae: nam in satisfaciendo spectauit ius diuinum, quod Deus habebat ut sibi integre pro peccatis hominum satisficeret; & ideo satisfactionem exhibuit, ut illi iuri ad aequalitatem satisficeret: qui amor & affectus aequalitatis, est actus iustitiae. Tertiò, Valde probabile est intercessisse pactum inter Christum hominem & diuinitatem, ut ipse tamquam fidei iussor, onus satisfaciendi pro hominibus in se susciperet; & Pater genus humanum in gratiam admitteret: Et floratione huius pacti fuit obligatus ex iustitia. Colligitur Isaia 53. v. 6. *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.* Psal. 39. v. 8. *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui.* Nec obstat, quod hominis ad Deum non sit iustitia, sed religio, vel pro delictis poenitentia: quia religioni & poenitentiae nihil deest ad perfectam iustitiae rationem, quam quod non possimus satisfacere iuri diuino ad aequalitatem: quod prouenit partim ex eminentia illius iuris, partim ex conditione personae creatae. Vnde si haec imperfectio suppleatur per hypostasim ita perfectam, ut iuri diuino possit ad aequalitatem satisfacere; nihil ei deerit ad perfectam iustitiae rationem.

1. Obiecto.

Satisfactio Christi fuit ex charitate & obedientia.

Etiā ex virtute iustitiae.

Intercessit pactum.

Dices Secundò; Nemo tenetur acceptare satisfactionem oblatam à tertio pro reo; sed solum à reo: ut patet exemplis humanis. Ergo talis satisfactio est ex acceptatione gratuita Iudicis, ac proinde non ex perfecta iustitia.

Respondeo; hoc argumentum solum probat, ut satisfactio non posse esse perfectam iustitiam in hac satisfactioe; nisi supposito pacto & promissione diuina: sed hoc non minuit rationem iustitiae; ut patet in alijs contractibus, emptione, redemptione, mutuo &c. Venditor enim etsi non teneatur acceptare pretium oblatum pro equo; tamen si contrahat cum emptore, & pretium sit aequale; est perfecta iustitia inter illos. Nec Iudex. redemptionem pro captiuo tenetur acceptare; tamen contractu inito, redimitur captiuus secundum perfectam iustitiam. Non enim requiritur ad debitum iustitiae, ut alter possit alterum obligare nullà supposità ipsius voluntate.

Dices

3. Obiisio.

Dices Tertio; Obligatio perfectæ iustitiæ repugnat Deo: ergo nemo potest apud Deum secundum perfectam iustitiam mereri. Consequentiâ patet. Antecedens probatur; Quia Deus est absolutus omnium dominus, nec potest aliquid extra suum dominium collocare: ergo non potest quidquam ex iustitia debere alicui. Nam hoc debitum non videtur posse intelligi nisi respectu eius, qui est sui iuris; non autem respectu eius, qui totus est ipsius debitoris.

Obligatio perfectæ iustitiæ ad puram creaturam, repugnat Deo.

Respondeo; Hoc argumentum bene probat Deo repugnare obligationem perfectæ iustitiæ respectu puræ creaturæ: nam hæc necessariò manet sub eius dominio, & assidue ex eius gratia pendet. Non tamen probat, quin possit se, vt subsistit in vna natura, obligare sibi vt subsistit in altera, idque ex iustitia: quia ipse non cadit sub dominium sui, sed semper est sui iuris. Non quòd tunc obligetur aliqua lege, sed quòd tunc inito contractu, ex virtute iustitiæ necessariò determinetur ad præstandum id, quod pactus est. Posito ergo pacto inter Deum & Christum hominem, poterat Christus homo, obligare Deum ex perfectæ iustitiæ. Illa autem obligatio, qua nos meritis nostris Deum obligamus ad reddendum præmium, est longe inferior; & talis, qualis illa qua seruus obligat dominum, si dominus illi aliquid pro debito seruitio promittat.

Vide lib. 13. de Perfect. Diuin. c. 2.

D V B I V M VII.

Vtrum Christus potuerit sibi mereri ipsam Incarnationem, seu Vnionem Hypostaticam, eiusque prædestinationem?

Ostensum est Christum habuisse merita, & cuius conditionis illa fuerint. Nunc dicendum, quid meruerit tum sibi, tum alijs.

26

Nō meruit vnionem hypostaticam.

Respondeo igitur, & dico Primò; Christus reipsa non meruit vnionem hypostaticam, sed hæc ex solo diuino beneplacito processit. Est omnino certa, & communis Doctorum in 3. dist. 4. & D. Thomæ suprâ q. 2. art. 11.

Probatur Primò, Quia Scripturæ Incarnationem Filij Dei, solum tribuunt amori, misericordix, & gratiæ diuinæ; nusquam autem meritis. Ioan. 3. vers. 16. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum Vngentum daret. Luca 1. vers. 78. Per viscera misericordie Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto. Ad Titum 2. versu 11. Apparuit enim gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus &c. Et cap. 3. vers. 4. Apparuit humanitas & benignitas Saluatoris nostri Dei. Ioan. 1. vers. 16. Gratiam, inquit, pro gratia: id est, dedit nobis gratiam iustificationis, propter gratiam vnionis.

Augustin.

Secundò Probatur ex Patribus. D. August. lib. De prædestinatione Sanctorum cap. 15. Est præclarissimum lumen prædestinationis & gratia ipse Saluator, ipse mediator Dei & hominum, homo Christus I. E. S. V. S: qui vt hoc esset, quibus tandem suis vel operum vel fidei præcedentibus meritis, natura humana que in illo est, comparatur? Et infra: Apparet itaque nobis in nostro capite ipse fons gratiæ, vnde secundum vnusquisque mensuram, se per cuncta eius membra distendit. Et gratiâ ab initio fidei sue sit homo quicumque Christianus, quâ gratiâ homo ille ab initio suo factus est Christus. Idem alijs locis sæpè repetit, vt De Bono perseuerantiæ cap. vlt. De Corrupt. & gratia c. 11.

In Enchiridio cap. 40. Idem docet Cassianus lib. 1. & 7. de Incarnatione contra Pelagianos.

Tertio Probatur Ratione. Primò; Quia certum est ex fide, quòd non meruerit illâ per opera tempore antecedenti vnionem: sicut senserunt Cerinthus, Photinus, Origenes, Nestorius, & vt multi volunt, etiam Pelagius. Nam simul humanitas fuit creata & assumpta. Certum etiam est, et si non de fide, quòd neque per opera quæ naturâ solum vnionem essent priora: nam nulla opera possunt vnionem præuenire. Ratio est; Quia omnis operatio, præsertim libera seu meritoria, quæ in illo primò instanti vnionis fit, debet tribui hypostasi tamquam principio quòd operatur; nam ratio hypostatica est magis intima pertinens ad complementum substantiæ rei. Atqui res prius est completa ad existendum, quàm intelligatur completa ad operandum. Confirmatur; Quia ratio hypostatica facit rem esse sui iuris, & nulli alteri obnoxiam seu incumbentem: id enim quòd concipitur vt alteri inexistentem, potius est id quòd operatur, non id quòd operatur. Itaque omnis operatio, quæ fit in illo instanti, est suppositi, nō naturæ; ac proinde supponit vnionem factâ. Vnde non potest illam mereri. Denique; certum est, quòd nec per opera quæ tempore aut naturâ vnionem sequuntur, possit illam mereri: nam merita debent saltē tempore vel naturâ præcedere præmiū; nam comparantur ad illud, vt via ad terminum, vt dispositio ad formam, & vt causâ moralis efficiens ad effectum. Confirmatur; Quia ob hanc causam, principium meriti, non cadit sub meritum: similiter nec prima gratia. At vnio hypostatica in Christo erat principium omnis meriti, & prima gratia.

Non enim meruit per opera tempore præcedenti.

Neque per opera præcedenti naturâ.

Neque per subsequentiâ.

Secundò; Quia mereri aliquid per opera subsequentiâ; supponit magnam imperfectionem: nempe rem illam quam sic meremur, non fuisse in principio collatam absolute, sed conditionatè, & dependenter à futuris operibus. Sed hæc imperfectio nō est ponenda in Christo: nam à principio habuit gratiam vnionis tamquam absolute donatam. Adde; tale opus subsequens non esse propriè meritum, sed potius debiti solutionem; vt statim patebit. Denique; decuit vt summum opus Dei, quòd est principium omnium meritorum in humano genere, non fieret ex vllis meritis, sed ex sola Dei liberalitate.

Dico Secundò; Christus etiam nullo modo potuit mereri prædestinationem vnionis suæ hypostaticæ. Ratio est; Quia meritum necessariò est prius ipso præmio, vel in re, vel in præscientiâ præmiantis: quia est causa quodammodò efficiens ipsius præmij; scil. mediante scientiâ & voluntate præmiantis. Sed meritum Christi neque re ipsa neque in præscientiâ Dei potuit antecedere prædestinationem vnionis hypostaticæ: ergo non potuit Christus illâ prædestinationem mereri. Maior patet. Probatur Minor; Quia meritum Christi, non poterat esse prius re ipsa, quàm Christi prædestinatio; cum hæc sit æterna, illud temporale. Nec etiâ in diuinâ præscientiâ poterat esse prius: quia licet præuisio meritorum Christi, & prædestinatio Incarnationis sit æterna; tamen illa præuisio præsupponit prædestinationem; non autem prædestinatio supponit illam præuisiōem. Ideò enim Christus erat habiturus merita, & illa merita erant præuisa, quia prædestinatum fuit vt Deus esset

27

Nō meruit prædestinationem vnionis hypostaticæ.

esset homo. Neque alius ordo erat possibilis, etiā per potentiam absolutam.

Dices; Saltem praescientia conditionata meritorum Christi, est prior praedestinatione Christi: nempe haec praescientia: Si praedestinetur, vt hic homo, sit Filius Dei; habebit infinita merita. Sicut etiam praescientia conditionata meritorum nostrorum est prior nostra praedestinatione: ergo &c.

Respondeo; Haec praescientia, etsi sufficiat vt Christus sit praedestinatus propter merita, tamquam causam finalem; non tamen sufficit, vt sit praedestinatus propter merita, tamquam merita: sicut nec in nobis sufficit. Ratio est; Quia haec praescientia non supponit aliquid absolute futurum, sed solum ex hypothesi: meritum autem debet supponi in eo qui meretur, tamquam iam existens, vel tamquam, absolute futurum; nam est causa efficiens moralis. Adde; Quod haec praescientia conditionata etiam habebatur de omni homine & humanitate: praescit enim Deus de omni homine, quod esset habiturus infinita merita, si ad vnionem hypostaticam eueheretur; non tamen ideo omnis homo meruit vnionem hypostaticam.

28
Neque primam diuisionem.

Dico Tertio; Neque etiam potuit vilo modo proprie ipsam primam hypostaticam vnionem collationem mereri, sed dumtaxat eius continuationem.

Probat; Quia non operibus tempore vel naturā precedentibus: talia enim nulla poterant esse, vt ostensum est num. 26: supponimus enim Animam eodem temporis momento creatam & assumptam, vt fides Catholica docet; Neque etiam operibus ipsa vnione naturā vel tempore posterioribus: quia de ratione meriti est, vt supponatur praemio tamquam causa efficiens moralis: atqui meritum quod posterius est Incarnatione, nullo modo supponitur Incarnationi; sed necessario ipsam supponit, tamquam suum principium vnde essentialiter pendet: ergo implicat vt opus Incarnationem sequens, sit meritum ipsius Incarnationis. Ratio est; Quia mereri, est fieri dignum per aliquod opus praemio: atqui nemo dicitur dignus respectu praeteriti, vel prioris boni quatenus prius est; sed respectu conferendi: est enim veluti capacitas quaedam boni, & dispositio & ius ad illud. Idem docet D. Thomas supra q. 2. a. 11. hāc eadem ratione; quia repugnat vt principium meriti cadat sub meritum. Quod intellige de principio, *quatenus est principium*: nam res illa, quae est principium meriti, potest sub meritum cadere, non quoad primam eius collationem, sed quoad continuationem post meritum. Et hoc modo potuisset Incarnatio seu vnio hypostatica, & gratia iustificationis, sub meritum cadere.

Secundam diuisionem.

Imò non est improbable Christum de facto meruisse continuationem seu conseruationem huius vnionis in omni aeuum post primum instantans. Ratio est; Quia meritum quod in primo instanti conceptionis habuit, fuit ad hoc sufficiens, & conuenienti ratione potuit ad hoc referri. Nempe, vt haec continuatio non esset perpetuo ex nudā gratiā Dei, sicut prima collatio; sed etiam ex debito iustitiā: ita vt ratione illius meriti, esset contra iustitiā, hanc vnionem non conseruare; cum sine merito, liberè potuisset eam Deus non conseruare, sicut initio po-

terat non conferre. Idem rectè dici potest de re-
stitutione seu instauratione huius vnionis Verbi
diuini cum naturā humanā, quae per mortem erat
dissoluta, & per resurrectionem est instaurationa.
Nec obstat, quod haec vnionis restauration fuerit
debita Christo, ratio primae vnionis factae in cō-
ceptione: quia potuit etiam cadere sub meritum,
sicut resurrectio, & gloria corporis, & diuini no-
minis aeterna celebritas; quae tamen aliās erant
debita. Denique certum est, Christum meruisse
huius vnionis innumerabiles quasi replicationes
& repetitiones, quae in Sacramento Eucharistia
sunt: nam hoc totum Sacramentū ex ipsius meri-
tis profuxit.

Dices; Si Christus meruit conseruationem, &
continuationem vnionis hypostaticae: ergo &
nos meremur gratiā continuationem; imò et-
iam naturā: nam illa vnio erat Christo natura-
lis, vt potē ipsū constituens.

Respondeo; Quod ad conseruationem gratiā
attinet, concedo: qui enim meretur gratiā, me-
retur quoque illius aeternam continuationem, nisi
ipse interponat impedimentum. De naturali con-
seruatione; non meremur eam directè: quia meri-
ta nostra non videntur ad hoc habere proportio-
nem: indirectè tamen hanc meremur; quatenus
meremur gratiā, & gloriā aeternam; quae sine
naturae conseruatione dari nequeunt.

Dices Primò, Christus meruit Patribus Vete-
ris testamenti gratiā & remissionem peccato-
rum; quod praemii longè prius fuit merito: ergo
simili modo per ordinationem diuinam poterit
mereri vnionem hypostaticam, praesertim cum
executio Incarnationis posterior fuerit meritis
prauiis, seu prauiione meritorum.

Respondeo; Christus non proprie & strictè
meruit illis Patribus gratiā collationem, & re-
missionem peccatorum; sed soluit pretium pro
illis debitum. Deus enim contulit illis gratiā
& remissionem peccatorum propter Christi solu-
tionem prauiam: vnde Christus manebat pro
eis debitor, donec satisfaceret. Sicuti si Rex con-
ferret parenti alicuius multa beneficia, propter
obsequia Filij eius prauiam vel sperata, velletque
filium manere obligatum donec obsequijs satisf-
faceret; illa obsequia haberent rationem pretij,
& solutionis debite potius, quam meriti: nisi
nomen meriti laxius sumamus, scilicet pro omni
opere habente dignitatem ad bonum datum
vel dandum. Quomodo intelligendi sunt Aucto-
res, dum dicunt Christum meruisse Patribus an-
tiquis. Simili modo potuisset Christus mereri
suam Incarnationem, si Deus ita statuisset; nempe
soluendo id quod propter illam debebat: & tunc
vnio hypostatica non fuisset in principio data ab-
solutè, sed sub conditione futuri operis. Sicut si
Militi dentur arma, ea lege, vt teneatur pugnare,
nec aliter absolute sint eius; obsequium militis
respectu primae collationis armorum, est solu-
tutio debita: respectu verò futurae possessionis,
erit meritum. Ita in proposito. Itaque Patribus
data est gratia propter Christi merita, non vt ha-
berent rationem meritorum, sed rationem futurae
solutionis.

Dices Secundò; Patres & Prophetae qui fue-
runt ante Christum, meruerunt Christi Incarna-
tionem suis precibus & pijs desiderijs; & eorum
merita fundabantur in meritis Christi: quia habe-
bant

bant gratiam propter illa, siue considerentur vt merita, siue vt solutio: ergo Christus meruit sibi Incarnationem, accipiendo nomen meriti, vt extendit se ad solutionem debiti: *Nam quod est causa alicuius causa, est etiam causa effectus ipsius.*

Patres non meruerunt Christi incarnatione de condigno.

Respondet & Dico Primò; Sancti illi non meruerunt nec potuerunt mereri Christi Incarnationem de condigno secundum legem ordinatam. Est communis Theologorum in 3. dist. 4. Primò; Quia nemo potest alteri mereri gratiam iustificationis ex condigno: ergo multo minus gratiam vnionis hypostatice. Secundò; Quia illi Sancti merebantur gratiam & gloriam suis meritis, & hoc erat præmium adæquatum: ergo nullo modo gratiam vnionis, quæ est bonum sublimius. Tertio; Quia Scriptura istud beneficium tribuit gratuitè Dei dilectioni, & misericordie, & excludit omnia humana merita: quod argumentum omnino continet hanc veritatem. Secundum tamen potentiam absolutam potuissent illud mereri, non quidem omnino ex condigno; quia non poterant facere vllum opus dignum tanto præmio; sed tamen ex quadam imperfecta iustitia: quia potuissent hæc gratia vnionis promitti sub conditione operum bonorum, qualia puri homines cum gratia poterant præstare. Quia conditione impleta, fuisset debitum secundum quandam imperfectam rationem iustitiæ.

Sed de condigno eius impletio- nem.

Dico Secundò; Patres meruerunt Christi Incarnationem ex congruo, non quidem proprie secundum suam substantiam; sed secundum quasdam suas circumstantias. Ita comunior sententia Doctorum, Alexandri 3. p. quest. 8. memb. 3. art. 2. D. Thomæ, Bonauenturæ, Richardi, Gabrielis in 3. dist. 4. & multorum recentiorum.

Ratio est; Quia hoc meritum nihil aliud fuit, quam quadam dispositio, qua reddiderunt se pro humana conditione quodammodo dignos vt Deus impleret quod iam antè gratis promiserat. Atqui hoc nihil est aliud, quam mereri, vt non diu extrahatur promissio: implere enim promissum, nihil est aliud, quam non differre. Confirmatur; Quia nihil aliud significant voces Prophetarum. *Isaie 45. v. 8. Rogate cali, desuper, & nubes pluant iustum; aperiat terra & germinet saluatorem: Quasi dicat; non amplius differatur iustus qui promissus est. Isaie 16. v. 1. Emitte Agnum, Domine, Dominatorè terra. Psal. 78. v. 8. Cito anticipent nos misericordia tua. Habacuc 2. v. 3. Veniens reuert, & non tardabit.* Neque enim mens Sanctorum erat impetrare à Deo tanti mysterij substantiam ordinari; sed cum scirent illud præordinatum gratis, petebant non differri, sed quam primùm impleri. Confirmatur Secundò; Quia si proprie meruissent substantiam Incarnationis, etiam prædestinationem eius meruissent; quod tamen dici non potest. Patet; Quia meritum, cum sit causa moralis, primò & immediatè mouet intellectum & voluntatè eius apud quem mereris, vt ipse velit & ordinet fieri quod mereris.

Dices; Si impetrabant impletionem: ergo etiã substantiam: quia non potest impleri sine substantia mysterij. Resp. Negando Consequentiam proprie loquendo. Quod patet exemplis humanis. Quia si Rex promissit alicui regnũ gratis, potest ille suis obsequijs mereri, vt Rex non differat diu impletionem promissũ, etiam si non mereatur absolute ipsum regnũ. Sic potest quis mereri solutionem antè terminum, non merendo ipsam re que solui-

tur, vt pote quæ iam sit debita. Meritum enim hoc, non respicit ipsam substantiam rei secundum se, sed solum coniunctionem eius cum hoc tempore; ipsa autem rei substantia sit ex vi prioris decreti vel promissionis. Sic Abraham meruit vt Christus ex ipsius femine nasceretur, vt aperte insinuat *Abraham meruit vt ex suo se- Gen. 22. v. 18. Quia fecisti hanc rem, benedicentur in mine Christ- semine tuo omnes Gentes: & B. Virgo meruit vt esset Mater Dei: nõ quòd Virgo aut Abraham hæc intenderint, aut habuerint promissionem sub conditione operis; sed quia sanctissimis operibus suis, se quodammodo dignos præ ceteris reddiderunt, vt Deus hoc mysterium per illos potius, quam per alios impleret.*

Abraham meruit vt ex suo se- Gen. 22. v. 18. Quia fecisti hanc rem, benedicentur in mine Christ- semine tuo omnes Gentes: & B. Virgo meruit vt esset Mater Dei: nõ quòd Virgo aut Abraham hæc intenderint, aut habuerint promissionem sub conditione operis; sed quia sanctissimis operibus suis, se quodammodo dignos præ ceteris reddiderunt, vt Deus hoc mysterium per illos potius, quam per alios impleret.

Iuxta hanc sententiam, facile est explicare, quomodo Patres & Prophetæ potuerunt mereri Christi Incarnationem, cum illorum meritum ex Christi Incarnatione penderet: nam non substantiam, sed solum impletionem Incarnationis meruerunt; id est, vt non differretur. Habuerunt autem gratiam ex Christi merito & Incarnatione; quatenus hæc erat in preuisione diuinã, tamquam absolute futura secundum suam substantiam ex vi decreti gratuiti. Nec obstat, quòd Deus etiã præordinauerat hæc impletionem tali tempore futurã: quia id ita præordinauerat, vt vellet dependere à Sanctorum precibus, tamquã conditione, sine qua, non esset tali tempore impleturus. Substantiam autem huius mysterij non sic præordinauit: non enim dici potest Christum non incarnandum fuisse, si Prophetæ & Patres non orassent.

DVBIVM VIII.

Utrum Christus sibi meruerit dona gratia habitualia, & gloriam Animam?

Respondet breuiter, & Dico Primò; Si Anima Christi in principio cõceptionis caruisset illa gratia, vel gloria; certum est quòd eam meruisset. Probatur; Quia idèò nunc re ipsa meruit gloriam corporis, quia eã carebat: ergo si vel ad momentũ caruisset gratia habituali & gloria, etiã meruisset. Confirmatur; Quia opera ipsius, vel ratione solius dignitatis personæ, erant sufficientia ad omnem illam gratiam & gloriam promerendam: ergo si præcessissent, sine dubio eam meruissent.

Si his caruisset, meruisset.

Verum, quia supra q. 7. a. 12. dub. 3. ostensum est, Christum à primo instanti sue conceptionis, habuisse plenitudinem gratiæ, & gloriam animæ: Dico Secundò; Christus in primo instanti potuit accipere diuinitus gratiam & gloriam ex suo merito; quod meritum, in eodem instanti temporis, prius tamen naturã, poterat elicere. Est communis serè Doctorum, excepto Caietano, & quibusdam Thomistis. Ratio est; Quia nulla hic est repugnantia.

Potuit mereri Gratiam & gloriam in primo instanti conceptionis.

Ac Primum, quòd Gratiam tunc potuerit accipere ex merito: Probatur; Quia gratia habitualis in Christo, non erat absolute prima gratia efficiens illum Deo grati; sed prior erat gratia vnionis, quæ per se sola erat sufficientissima ad merendum: sed in eodem instanti, quo quis habet gratiam primam, potest per illam mereri secundam, eamque simul accipere, vt patet, cum quis meretur augmentum gratiæ, quod in eodem momento datur: ergo per meritum ex gratia vnionis profectũ, poterat mereri gratiam habitualẽ. Secundò; In eodem instanti, quo se disponit persona creata

Prob. de Gratia.

A simili.

ad gratiam iustificationis, per illam vltimam dispositionem meretur ex congruo illam gratiā quæ in eodem instanti datur; & quod meritum non fit ex condigno, est, quia nō supponitur persona grata. Atqui Christus potuit etiam accipere gratiam habitualem per propriam dispositionem (sicut D. Thomas & multi Doctores sentiunt de Angelis & Adamo:) ergo illa dispositio fuisse meritoria illius gratiæ; & quia supponebat personam iam gratam, fuisse meritoria ex condigno.

Prob. de Gloria.

Quod autem tunc etiam potuerit mereri Gloriam quæ in eodem instanti dabatur: Probatur Primò; Quia qui meretur gratiam, meretur etiam gloriam: ergo qui meretur primam gratiam habitualem, meretur etiam primam gloriam. Atqui hæc poterant simul dari; quia in Christo opus meritorium & gloria, non pugnant, sicut in nobis: nam ipsius meritum non erat ex fide, sed ex scientia infusa, quæ simul esse potest cum visione beatificā.

Potuisse Gloriam mereri non merendo Gratiam.

Secundò Probatur potuisse mereri gloriā, etiā non merendo gratiam: quia alij homines etiam si non mercantur primam gratiam iustificationis ex condigno, merentur tamen primam gloriam ex condigno: ergo idem potuit Christus, si intelligamus gratiam habitualemente antecessisse ordine naturæ meritum, & per illam Christum liberè operatum prius naturā quàm acciperet gloriā; quod sine dubio fieri potuit.

In eodem instanti beatitudo & meritum ex scientia infusa, simul esse possunt.

Tertiò; Nulla potest assignari ratio, cur non possit quis beatitudinem mereri, & illam in eodem instanti accipere, si meritum non fit ex fide, sed ex scientia infusa. Nō enim repugnat ex parte Dei, qui eodem momento quo fit meritum, accipit illud, & simul potest præmium reddere. Nec ex parte meriti aut præmij, quia in momento fiunt. Nec ex parte ordinis, quia est ordo causæ & effectus: vel dispositionis & formæ, quæ simul esse possunt.

Soluntur obiectiones.

Dices Primò; Meritum se habet vt via, præmium vt terminus: at fieri nequit vt aliquid sit simul in viā, & in termino, &c.

Respondeo; Nō repugnat viam simul esse cum termino, quando via est momentanea. Patet; Quia contritio est via ad gratiam sanctificantem, & tamen est simul tempore cum illā. Idem patet in merito augmenti gratiæ.

Dices Secundò, Ex D. Thoma 1. p. qu. 62. a. 4. Meritum gloriæ est ex gratiā imperfectā; gloria autem ex gratiā consummatā: ergo meritum gloriæ & gloria non possunt esse simul.

Respondeo; D. Thomas per gratiam imperfectam intelligit eam, quæ ex fide operatur: & hæc non potest simul esse cum gloria seu beatitudine. Verum in Christo non erat talis gratia imperfecta, non enim operabatur ex fide, sed ex clarā cognitione, quæ simul esse potest cum beatitudine.

32 Probabile est meruisse vitam que.

Dico Tertiò; Probabile est Christum re ipsā meruisse Gratiam & Gloriā Animæ. Neque hæc sententia vllam censuram meretur. Probatur Primò; Quia multi & graues Theologi id tenent. Guilielmus Altissiodorensis 3. parte summe tract. 1. c. 7. Albertus Magnus in 3. dist. 18. & ibidem aliquot alij, præsertim Scotistæ. Et Probatur; Quia in omnibus alijs Sanctis magna est perfectio habere beatitudinem, non solam vt hæreditatem ratione filiationis adoptiue; sed etiam vt præmium & coronam bonorum operum: ergo etiam

in Christo erit perfectio. Confirmatur; Quia ad Christi dignitatem pertinet, vt nulla sit beatitudo nec in ipso, nec in alijs hominibus, quæ non fit collata ex ipsius meritis. Secundò; idem probatur de Gratia: nam probabile est Christi Animam fuisse sanctificatam per propriam dispositionem, motumque liberi arbitrij: sicut multi sentiunt de Angelis & Adamo; & expressè docet D. Thomas infrā quæst. 34. art. 3: ergo illa dispositio ordine naturæ antecedebat & gratiam habitualemente & gloriam: ergo erat meritoria omnium posteriorum donorum: sicut in nobis vltima dispositio est meritoria de condigno primæ gloriæ; cur similiter in Christo illa dispositio non erit meritoria etiam gratiæ, cum supponat subiectum gratum?

Dico Quartò; Probabilis tamen & verius est, 33 Christum non meruisse re ipsa gratiam habitualemente, aut alios habitus infusos. *Probabilis tamen negatur de Gratia.*

Probatur; Quia hæc est communior sententia Doctorum cum Magistro dist. 18. Bonauenturæ, Scoti, Durandi, Richardi, Paludani, Gabrieli. Idem docet Canus lib. 12. de locis cap. 14.

Secundò Probatur; Quia nullus actus supernaturalis in Christo prior fuit ne quidem naturæ ordine, gratiā habituali: ergo illam non meruit. Nam meritum, saltem naturæ ordine, debuit antecedere præmium. Antecedens Probatur; Quia Anima Christi omnes actus suos semper perfectissimo modo fecit: ergo semper operata est ex habitu: nam perfectus modus operandi est, quando quis operatur ex principio intrinseco actui proportionato: hoc autem principium respectu actuum supernaturalium, est potentia animæ completa per habitum diuinum. Nam potentia nuda, solum habet vires inchoatas & dimidiatas ad huiusmodi actus; nec potest perfectè compleri nisi per dona habitualia. Confirmatur; Nam primus actus scientiæ infusæ, seu prima agnitio Dei supernaturalis ad meritum requisita, non potest perfectè modo haberi, nisi procedat ex lumine supernaturali infuso: ergo illa cognitio supponebat habitum vnde procederet. Similiter prima dilectio Dei, in qua primum meritum debebat procedere ex dono charitatis. Atqui habitus potentialium supponunt habitum gratiæ in essentiā animæ: sicut potentia supponunt existentiam; idque maximè in Christo, cui omnes habitus perfectissimo & maximè naturali ordine fuerunt infusi. Ergo gratiam & dona habitualia non meruit, sed prius naturā accepit, quàm meritum eliceret.

Probatur Tertiò; Quia tota gratia habitualis Animæ Christi, erat veluti proprietas connaturalis proueniens ex vñione cum Verbo: ergo sicut Anima secundum essentiam suam per se primò vñiebatur Verbo, & potentia tantum vñiebatur secundario ipsi Verbo; ita etiam Anima prius naturā accipiebat gratiam à Verbo, quàm potentia: ac proinde non poterat illa gratia cadere sub meritum, cum omne meritum fiat per potentias animæ.

Denique; Quia habitualis gratia, vnā cum gratiā vñionis, erat principium omnis meriti: ergo non debebat cadere sub meritum. Confirmatur; Quia par erat, vt principium meriti, & omnis boni supernaturalis in genere humano, esset omnino perfectum, non solum quoad personam, sed etiam

Gratia habet se in se propter prouentionem ex vñione cum Verbo.

sed etiam quoad Animam, quæ est principium quo ipsius meriti. Sicut Adam erat omnino perfectus in bonis naturalibus.

Dices: Ergo Anima Christi non fuit sanctificata per proprium actum; quod tamen asserit D. Thomas infra q. 34. a. 3.

Anima Christi non fuit primò sanctificata per proprium actum.

Respondeo; Verè non fuisse sanctificatam per proprium actum, tamquã dispositionem quæ naturã prior sit infusione donorum habitualium: talis enim dispositio in voluntate non requiritur, nisi ad removendum impedimentum, scilicet affectum peccati; vel certè ad eleuandam naturam ad statum supernaturalem; quarum neutrum locum habet in Christo. Deinde; Talis dispositio non potest elici ab habitu gratiæ, & sic imperfecto modo fieret, qui non est tribuendus Christo: Actus enim qui prior est habitu, vt dispositio, non potest elici ab habitu ad quem disponit: hoc enim contradietionem implicat, quiddid Thomistæ dicant. D. Thomas autem tantum vult dicere Christum sanctificatum per motum liberi arbitrij, qui erat tamquam dispositio manans ab illã gratiã, non tamen preparans ad illam gratiam; sed efficiens vt gratia illa connaturali modo conferretur: itaque erat dispositio non preparans, sed ornans.

34 Verius etiam negatur de gloria.

Dico Quintò; Verius etiam est Christum habuisse gloriã Animæ sine proprijs meritis. Primò, Quia hæc est communior sententia Doctorum. Secundo, Quia primus actus supernaturalis, qui fuit in intellectu Animæ Christi, erat ipsa visio beata: ergo omne meritum supponebat visionem beatificam. Patet Consequentia; Quia omne meritum fundatur in cognitione supernaturali, eamque supponit: ergo si visio est prima cognitio supernaturalis in Anima Christi, meritum supponit illam, non autem meretur illam.

Primus actus Anima Christi fuit visio beatificæ.

Antecedens Probatur Primò, Quia gratia habitualis cum suis virtutibus annexis fuit prior ordine naturæ actui & merito: ergo etiam lumen gloriæ fuit prius actu supernaturali & merito: nam vna ex virtutibus quæ maximè comitatur gratiam consummatam, est lumen gloriæ: imò videtur esse absolutè prima virtus. Nam sicut intellectus est prima potentia animæ, ita virtus illa quã intellectus eleuatur supernaturaliter, est prima veluti potentia gratiæ in essentiã animæ existentis. Et quoniam in statu imperfecto virtus qua eleuatur intellectus, sit fides, tamen in statu gratiæ perfectæ prima virtus est lumen gloriæ. Nunc vterius: Si lumen gloriæ est prima virtus annexa gratiæ consummate: ergo visio beata est primus actus, qui ordine naturæ fuit in intellectu Animæ Christi. Patet Consequentia; Quia primus actus maximè connaturalis lumen gloriæ, est visio Dei, qui est ipsius primarium obiectum intimè præsens: sicut primus actus, & maximè connaturalis lumen Angelico, est visio essentiæ Angelicæ.

Secundo Probatur Antecedens, Quia ad perfectionem Christi spectat, vt primus eius intuitus fuerit in diuinam essentiã, vt ab illã hauriat quodammodò omnem aliam scientiam. Sic enim intellectus Animæ Christi erit similior intellectui diuino, qui primò fertur in diuinam essentiã, & ab hac ad reliqua. Confirmatur; Quia cum tota illa scientia supernaturalis fuerit Christo debita, & quali connaturalis; non erat

conueniens vt ipse procederet in illã ab imperfecto ad perfectum, sed debuit à perfectiori initium sumere.

Ex his solui possunt Argumenta facta pro tertiã propositione: nam cetera non sunt paria, vt ibi supponitur. Patet etiam, Quo modo intelligenda sit Ratio D. Thomæ; nempe: Meritum beatitudinis & beatitudo non possunt esse simul; Meritum enim ex naturã suã est ex gratiã imperfectã, id est, operante per fidem: quòd si detur aliquod meritum non fundatum in fide, iam illud supponet visionem beatificam; quia supponit aliquam scientiam supernaturalem clarã, quæ non datur, nisi ratione status beatifici. Vnde tale meritum non potest esse meritum respectu visionis beatæ, cum illam supponat.

DVBIVM IX.

Vtrum Christus sibi meruerit Corporis gloriam, & Nominis exaltationem?

Caluinus lib. 2. Instit. c. 16. §. ult. reprehensis primò Theologis tamquam curiosis & temerarijs, quòd hæc inquirant; tenet partem negantem. Primò, Quia si aliquid sibi meruisset, propter se potius quàm propter nos venisset, cum tamen Scriptura vbique doceat illum nobis datum, nobis venisse, nobis meruisse. Secundo, Frigeret illa demonstratio charitatis, de quã Apostolus ad Romanos 5. vbi pro inimicis mortuus dicitur. Tertiò, Quia non potest esse tantum meritum vt homo fiat Iudex mundi, caput hominum & Angelorum.

35 Caluinus negat.

Respondeo & Dico Primò, Christus Passione suã meruit gloriã sui corporis. Est fide certa. Probatur; Ad Philip. 2. v. 8. Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem: propter quod & Deus exaltauit illum &c.

Meruit gloriã corporis.

Respondet Caluinus, Propter, non significare causam, sed consequentiam; hoc sensu: Christus primò passus est, deinde exaltatus. Sic etiam exponit illud Lucæ 24. v. 26. Oportebat pati Christum, & sic, id est, hoc ordine, inquit, intrare in gloriam suam.

Responso Caluini.

Sed contrã; Quia etiã in illo Lucæ significatur causa: sicut cum dicimus, Oportet currere, & sic accipere brauium. Quòd autem illud Propter, significet causam; Patet, Tùm ex communi modo loquendi, & vocis proprietate: tum ex illo ad Hebr. 2. v. 9. Videmus IESUM propter passionem mortis gloriæ & honore coronatum. Vbi etiam nomine, Corona, insinuat præmiũ & merces, ac proinde meritum in passione. Denique omnes Interpretes volunt significari meritum & causam: Chrysostomus, Theophilaetus, Occumenius, Ambrosius, Beda, Anselmus, &c. Vnde patet hanc esse communem sententiam Patrũ. Quibus accedunt omnes Doctores cũ Magistro in 3. d. 18. Nec Scotus dissentit ab alijs, nisi modo loquendi. Ratio est, Quia in Christo cõcurrerant omnia necessaria ad meritum huius gloriæ corporis; eratque perfectius eam mereri, quàm nõ mereri, nec vllam aliã perfectionem excludit. Hinc sequitur, Christum meruisse suam Resurrectionem, & omnes dotes corporis gloriosi. Item ablatione omnis tristitiæ, & capacitatis tristitiæ in Animã: iuxta illud Psal. 44. v. 8. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem; propterea vinxit te Deus, Deus tuus oleo letitiæ.

Resoluitur.

Item meruit Resurrectionem, Dotes corporis, & ablationem tristitiæ.

L l ij Dico

36
Nominis
celebritate
sem.

Dico Secundò, Christus etiam meruit sablilitatem & celebritatem sui nominis, & omnem externam gloriam apud vniuersam creaturam rationalem. Patet ad Philip. 2. v. 9. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomē quod est super omne nomen, vt in nomine IESV omne genu flectatur caelestium, terrestrium, & infernorum. Apoc. 5. v. 12. Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutē, & diuinitatem (id est, vt ab omnibus agnoscat & colatur tamquam Deus) & sapientiam, & fortitudinem & honorē, & gloriam. Ioan. 17. v. 1. Pater venit hora, clarifica Filium tuum. Et infra v. 5. Et nunc clarifica me tu Pater apud te ipsum, claritate quā habui prius quā mundus esset apud te, id est, vt etiam in humanitate agnoscat & colat Deus. Ratio est; Quia Christi meritum dignissimum est tali prœmio; & reliquæ meriti conditiones adsunt. Optima quoque est proportio inter tantam eius humilitatem, & tantam exaltationem.

Testimo-
nia & si-
gna quibus
sua digni-
tas est pa-
tescunt.

Hinc probabiliter colligunt quidam Doctores, Christum meruisse etiam omnia ea, quibus eius dignitas hominibus est patefacta, dum adhuc esset in vita mortali: vt testimonium Angelorum in nocte Natiuitatis, & in die Resurrectionis: Testimonium Stellæ & Magorum: Testimonium Patris in Iordane, & in mōte: Prodigia in morte, & similia. Etsi enim hæc fierent ad hominum fidem confirmandam, tamen etiam pertinebant ad gloriam Christi; & sub vtrâque ratione, poterant sub eius meritum cadere.

Dignitatē
Regis &
Capitis.

Secundò colligitur, Christum meruisse regiam dignitatē in vniuersum orbem. Patet Psal. 2. v. 8. Postula à me & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam. Et v. 6. Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius. Isaia 53. v. 12. Peccata eorum ipse portauit: idē dī speritiam ei plurimos, & fortium diuidet spolia. Matth. 28. v. 18. Data est mihi omnis potestas in celo & in terra. Similiter meruit dignitatem Capitis, nam eadem est ratio, Aduerte tamē, illum non meruisse, primum illum titulum Regis aut Capitis; nam hunc habuit ante omne meritū ex sola Dei ordinatione. Sicut etiam non meruit vt esset mediator teste D. Augustino de Prædestinatione Sanctorum c. 15. Vnde cum Pilatus dixisset: Ergo Rex es tu? Respondit: Ego in hoc natus sum, & in hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati: scilicet regni mei. Meruit tamen domini exercituum, & externā declarationē huius dignitatis: quod satis indicant Scripturæ citatæ. Præterea meruit potestatem iudiciariam, vt docet D. Thomas infra qu. 59. art. 3.

37
Soluntur
Argumenta
Caluini.

Ad Argumenta Caluini. Ad Primum, neganda est sequela. Christus enim solum propter nostram inopiam venit, non propter suam: tamen postquā venit accepta serui formā, potuit etiā sibi mereri. Ad Secundum, Negatur illam demonstrationem charitatis fringere: quia propter nos carnem passibilem accepit, & mortem passus est; quod alioqui non fecisset: non enim propter gloriam corporis sui necesse erat pati, cum hæc illi ante omne meritum deberetur. Posito tamen quod propter nos carnem passibilem acceperit, nihil vetat, quin etiam sibi gloriam carnis suæ meruerit; quia meritum eius ad hoc dignissimum est, & nobis idē nihil detrahitur. Ad Tertium, Si Christus meruit totius mundi expiationem, quod sine dubio maius est; quomodo non potuit mereri vt esset totius mundi Iudex?

DVBIUM X.

Vtrum Christus meruerit Angelis
Gratiam & Gloriam?

Origenes hom. 1. in Leuit. & hom. 24. in Numeros, censet Christum redemisse Angelos, & esse mortuum pro illis. Quam sententiam videtur approbare D. Hieronymus in cap. 1. & 4. ad Ephesios: sed more suo solum refert sententias aliorum, nec probando nec improbando. Hæc sententia si intelligatur de Angelis malis, est hæretica: supponit enim pœnam dæmonum non esse æternam. Si de bonis; est omnino falsa & temeraria, vt statim dicam.

Alij dicunt Christum quidem non redemisse Angelos, cum numquam captiui fuerint; tamen propter eius merita præuisa, datā illis esse gratiā, & consequenter gloriam. Ita plerique Doctores supra citati q. 1. a. 3. n. 38. qui docent Christum incarnandum etiam si Adam non peccasset; quamquam non omnes.

Resp. & Dico Primò: Christus non redemit Angelos, nec mortuus est pro illis. Est omnino certa. Probatur ex illis Scripturæ locis, vbi dicitur Christus propter peccatores venisse; vt Actor. 4. 1. Tim. 4. Ad Gal. 3. 1. Pet. 1. Deinde Apostolus 2. ad Cor. 5. v. 14. ait: Si Christus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: atqui Angeli nō possunt dici mortui, nec eo sensu quo ibi Apostolus, scilicet secundum vitā peccati, nec alio. Ad Heb. 2. v. 16. Nusquam Angelos apprehendit Deus, sed semen Abrahæ: id est, Scriptura nusquam dicit Christum Angelos labantes redemisse; vt exponit Chrysost. Vide D. Aug. c. 61. 62. 63. Enchiridij. Et Greg. lib. 28. moral. c. 14. in illud. Iob. 38. v. 7. Cum me laudarent astra matutina. Et ratio est, Quia boni non egebant redemptione, nec satisfactione, cum non peccarint: malis autem non profuisset; quia statim æternis pœnis sunt deputati.

Dico Secundò, Etsi nō sit improbabile Angelis gratiam & gloriam esse datam ex Christi meritis, probabilius tamen & verius videtur contrarium.

Probatur Primò, Nam plures hoc tenent, & quidem grauiores Doctores. D. Thomas in 3. d. 13. q. 2. a. 2. quæstionum. 1. D. Bonauen. eadem dist. a. 2. q. 3. Durandus, Paludanus, Maior, Gabriel, & alij eadē dist. Driedo De captiuitate & redemptione tract. 4. c. 2. pag. 8.

Secundò, Probatur omnibus illis locis in quibus Scripturæ & Patres docent Christum tantum propter nos venisse. Vide dicta supra qu. 1. art. 3. Mirum sanè esset, rem tantam, quæ tantoperè ad Christi dignitatem pertinet, à Scripturis & Patribus esse tacitam. Quod argumentū, etsi sit ab auctoritate negatiuè, est valde efficax; Idē Confirmatur ex illo ad Heb. 2. v. 11. Qui sanctificat, & qui sanctificatur, ex vno omnes; propter quam causam non confunditur fratres eos vocare. Hic Apostolus fusè docet Christum debuisse esse naturæ & conditionis passibilis, eod quod sanctificandi per illum, essent talis naturæ: Sacerdos enim debet eis similis esse, pro quibus Sacerdotio fungitur. Vbi satis indicat Angelos per Christum non esse sanctificatos, quia non descendunt, ex eodem parente. Vnde infra v. 16. sic argumentatur: Nusquam Angelos apprehendit, scil. ne perirent, sed semen Abrahæ apprehendit: ergo debuit per omnia fratribus assimilari.

Tertiò

Prima Ratio.

Tertio Probatur; Ratione. Primo, Quia etiam si Christus non venisset, Angelis tamen fuisset data gratia: ergo non habuerunt eam ex Christi meritis. Antecedens patet; Quia sicut natura illorum fuit praordinata sine dependentia à Christi merito; ita in eodem signo fuit praordinata illorum gratia: quia Deus non praordinavit Angelicam naturam nisi perfecto modo, scilicet ut esset particeps diuinæ naturæ per dona supernaturalia & beatitudinem.

Secunda Ratio.

Secundo, Si Angeli habuissent gratiã ex Christi meritis, non debuissent accipere gloriam ante Christum; vt patet in Patribus veteris Testamenti. Confirmatur; Tùm, quia non decebat, vt illi, qui per Filium erant adoptati, hereditatem cælestem adirent ante Filium: tum, quia illis data fuisset gratia modo imperfecto, scilicet dependenter à meritis futuris. Ergo non debebant accipere consummationem ante solutionem prestitam.

Tertia Ratio.

Tertio, Adam non habuit gratiam, qua primo sanctificatus est; ex Christi merito: ergo nec Angeli. Antecedens Probatur, Quia alioqui Christus debuisset illi reuelari à principio cum primum fuit formatus: nõ enim credibile est sine explicita fide Incarnationis esse iustificatum, si ex Christi merito gratiam accipere debuit. Atqui Patres tantummodo insinuant hoc mysterium illi in ecclasi reuelatum, quando de latere eius formata est Eua: nec vlla ex ipsis capi potest coniectura hanc reuelationem antea factam; quin potius non obscure insinuant tunc primum factam. Vide D. Augustinum lib. 9. de Genesi cap. vlt. Et Leonem epist. 23.

Quarta Ratio.

Eccles. 7. v. 30. Genes. 1. v. 27.

Quarto, Rectitudo status innocentie pertinet ad opus creationis, vt insinuat Scriptura, cum ait; *Hominem creatum esse rectum, & Creatum ad imaginem & similitudinem Dei.* Vnde & Patres vocant illam, *naturalem rectitudinem, naturalem dignitatem, naturale bonum.* Leo serm. 1. de Ieiunio, & serm. 13. de Passione. August. de Spiritu & littera cap. 27. Atqui totum opus creationis primæ, est ex solâ Dei bonitate, non ex merito alicuius. Confirmatur; Quia D. Aug. lib. De corrept. & gratia, c. 10. 11. & 12. aperte insinuat gratiam Angelis & homini in statu innocentie datã non fuisse ex Christi merito; nam distinguit hanc ab illa, dicitque acceptam esse ex bonitate conditoris: eam autem quæ data est ex Christi merito, longè esse alterius conditionis.

Quinta Ratio.

Apocal. 7. v. 4.

Quinto, Si Angeli habent gratiam ex meritis Christi: ergo saltem empti sunt pretio meritorum eius, quamuis non redempti; redemptio enim captiuitatem supponit. Item ergo pro Angelis sacrificium suum obtulit; in hoc enim eius meritum maximè consistit: alioqui quod opus pro illis fecit? Itaque & ipsi de albat sunt in sanguine Agni. Quæ omnia parum sunt consentanea modo loquendi Scripturæ & Patrum.

40 Soluuntur Argumenta.

Contra. Obijcitur Primò: Ioan. 14. vers. 6. *Ego sum via, veritas, & vita: Nemo venit ad Patrem nisi per me:* illud, *Nemo,* est generale ad homines & Angelos.

Respondeo; Nihil cogit extendere ad Angelos: accipi enim debet secundum subiectam materiam de hominibus, qui procul sunt à Patre: sicut illud Ioan. 6. v. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum:* vbi de solis hominibus est sermo; sequitur enim: *Et ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Similiter Ioan. 17. v. 3. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum:* aperte de hominibus loquitur, vt patet ex præcedentibus: & sensus est; Ratio, Quia homines debent peruenire ad vitam æternam, est per fidem Dei & Messie.

Obijcitur Secundo, Ex Gregorio in cap. 2. lib. 1. Regum; *Nullus hominum neque Angelorum sanctus est nisi per Christum.* Respondeo; Gregorius non habet hæc verba; sed solum dicit, *Neminem esse sanctum nec hominem nec Angelum absque dono Vnigeniti.* Probat autem Angelos esse sanctificatos ab vnigenito, non quod meritis eius, sed quia virtute & omnipotentia eius sanctificati sunt; iuxta illud Psalmi, *Verbo Domini celi firmati sunt.*

Gregorius explicatur.

Obijcitur Tertio ex eodem Gregorio ibidem; *Quia, inquit, Vnigenitus Dei, Deus est, extra eum non est aliquis; (id est, nemo habet statum iustitiæ) quia nemo Electorum nisi in ipso est. Quod sic refertur ad diuinitatem eius, vt nequaquam intellectum humanitatis eius euacuet; quia iustus esse non potest, qui fidem non habet incarnationis.* Respondeo; Loquitur solum de hominibus, quorum proprie est iustificari & accipere statum iustitiæ per Christi fidem: nemo enim habet statum iustitiæ nisi in ipso per fidem maneat: vbi illa dictio, *Nisi,* non excludit, inquit, humanitatem assumptam: Nam, vt Scriptura docet, *Nemo potest esse iustus nisi per fidem diuinæ incarnationis:* scilicet post hoc mysterium exhibitum. Suprà ostenderat Gregorius quomodo Angeli fuerint iustificati per Vnigenitum.

Obijcitur Quarto, Ex eodem Gregorio hom. 14. in Ezechiel. *Vnigenitus Patris, qui sursum est firmitas Angelorum, inferius factus est hominum redemptio.* Respondeo; Aperte indicat Filium per diuinam naturam esse firmitatem Angelorum. Patet ex verbo, *Sursum:* & quia, vt statim subdit, *est illi fortitudo ne cadant.* Quid autem Gregorius sentiat, patet ex lib. 4. in lib. primum Reg. c. 1. *Nisi, inquit, Adam peccasset, Redemptorem nostrum carnem nostram suscipere non oporteret. Non enim venit vocare iustos, sed peccatores ad penitentiam. Si ergo peccata deessent, eum venire non oporteret.*

Obijcitur Quinto & vltimo, Ex D. Thomæ Commentario in Ioannem, in illud: *De plenitudine eius omnes accepimus:* scilicet omnes Apostoli, & Patriarchæ, & Propheta, & iusti qui fuerunt, sunt, & erunt, & etiam omnes Angeli. Respondeo; Solutio sequitur in D. Thoma: Loquitur enim de Christo secundum diuinitatem: nam præpositio *De,* isto loco significat causam originalem & effectiuam per auctoritatem vt ipse ait: & probat ex Ecclesiastici cap. 24. vers. 26. *Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis (quæ scilicet de me procedunt) adimplemini.* Vbi manifestè agitur de Sapientia diuina.

D. Thomæ.

DVBIVM XI.

Vtrum Christus nobis meruerit Fidem, & reliquas dispositiones ad gratiam?

Sunt duæ sententiæ. Prior est, Fidem & alias dispositiones remotas, Timorem, Attritionem, Spem, non dari nobis ex Christi meritis, sed dumtaxat ex diuina misericordia. Ita Driedo lib. de

41 Quidam negant.

L l iij lib. de

lib. de Captiuit. tract. 2. cap. 2. art. 4. pag. 246. & sequentibus, & Ruardus art. 6. Insinuat etiam Sasbourn in 1. c. ad Ephes. Idem docent Siluester Ferrariensis in lib. 4. contra Gentes cap. 55. & Capreolus in 3. dist. 18. qui etiam motum Fidei, Spei, & Charitatis, quatenus sunt informes, & dispositio remota ad gratiam, dicit non esse ex Christi meritis: vt autem procedunt ab habitibus Theologicis, & vt sunt dispositio concomitans, esse ex Christi meritis. Quæ distinctio iure refutatur à Siluestro. Motus enim Charitatis numquam potest esse informis, aut dispositio remota; sed semper est cum gratiâ, & dispositio propinqua in conuersione.

Capreolus.

Verius affirmatur de omni dispositione propinqua & remota ad iustificationem.

ex Scriptura.

Altera sententia est huic contraria, scilicet omnem dispositionem ad iustificationem, siue propinquam siue remotam, nobis ex Christi meritis conferri. Colligitur ex D. Thoma supra quæst. 8. art. 3. ad 2. & qu. 7. art. 9. Et fuse docet Andreas Vega lib. 4. in Tridentinâ per multa capita, & Calalius lib. 1. De quadripartita iustitia c. 4. & alij.

Probatur, Ioan. 15. v. 5. Sine me, inquit Christus, nihil potestis facere: ergo nec præparare nos ad iustitiam; vt colligit ex illo loco Conciliû Arauicanum cap. 7. ad Ephesios 1. v. 3. Qui benedixit nos omni benedictione spiritali in caelestibus in Christo; vbi illud, in Christo, nihil potest commodè significare, nisi per Christi meritum: ergo omne donum spirituale pertinens ad cœlestia, datur ex Christi merito. 2. ad Timoth. 1. v. 9. Qui vocauit nos vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum & gratiam; quæ data est nobis in Christo IESU ante tempora secularia: vbi significat gratiam vocationis nobis ab æterno esse præparatam in diuino proposito, ob Christi merita. Ad Philip. 1. v. 29. Vobis donatum est pro Christo (id est Christi merito, vt exponit Anselmus, & insinuat Concil. Arauicanum cap. 25.) non solum vt in eum credatis, sed vt etiam pro ipso patiamini: ergo fides est ex Christi meritis. Ioan. 1. v. 17. Veritas per IESUM Christum facta est, id est, vera fides, vt exponit D. August. in istum locum: non tantum vt per Doctorem, sed etiam vt per auxiliatorem; vt Augustinus probat ibidem Tract. in Ioannem.

Probatur de Fide.

Cur Christus dicitur dicitur dicitur.

Hinc Christus Ioan. 10. v. 9. dicitur Ostium, quia per ipsum datur fides, quæ est ianua salutis. Et sanè mirum esset ipsum tantum operari in docendâ fide posuisse, si eius donum nobis non meruisset.

Ex Concilijs.

Probatur Secundò, Ex Concilijs. Concilium Mileuit. cap. 4. dicit, Scire quid facere debeamus, esse donum Dei per Christum. Idem docet Arauicanum locis citatis nempe cap. 7. & 25. Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 5. expresse docet exordium iustificationis, quod est à gratia præueniente, & à prima vocatione, esse ex Christi meritis. Omitto alia: nam videtur communis Ecclesiæ sensus, quæ cum petit aliquod auxilium gratiæ siue præueniens siue subsequens, semper per Christum petit.

42 Probatur de dispositione alij.

Probatur Tertio, Ratione: Ac primò, de vltimâ dispositione est communis omnium sententia: quia cum hac infallibiliter coniuncta est iustificatio: ergo si vltima dispositio non esset ex Christi meritis, neque iustificatio esset ex ipsius meritis: quod est apertè contra Scripturas. Confir. Primò, quia si homo suis viribus posset habere

vltimam dispositionem, posset etiam suis viribus parare iustitiam: ergo si posset illam habere sine Christi meritis, etiam iustitiam posset sine eius meritis habere. Cõfirmatur Secundò; Quia eiusdem est introducere formam, & ad illam vltimò disponere, quando agens est perfectum. Ergo si vltima dispositio datur, non ex Christi merito, sed ex purâ Dei misericordiâ, etiam iustificatio ita dabitur.

Secundò, Idem probatur de dispositionibus remotis. Primò, Quia tota iustificatio, prout accipitur in Scriptura, est ex Christi merito; vt statim ostendemus; sed hæc includit omnes dispositiones, sicut generatio includit omnes præparationes: ergo omnes dispositiones sunt ex Christi meritis. Secundò, Qui meretur alteri finem, meretur omnia necessaria ad illum: sed Christus meruit nobis iustitiam: ergo omnes præparationes ad illam necessariae. Tertio, Cur Deus non conferat has dispositiones ob Christi merita? cum eius meritis sint debita, & hic modus sit perfectior: nam sic ex misericordiâ & iustitia conferentur, & magis demonstrabitur efficacia Christi meritorum. Nam non solum poterit influere in ea quæ actu sunt membra, vt sunt omnes qui habent fidem; sed etiam in ea quæ adhuc remota sunt à suo corpore, quæ poterit efficere sua membra; vt rectè docuit D. Thom. supra quæst. 8. art. 3.

Probatur de dispositionibus remotis.

In quo notandum est discrimen Christi & Adami: licet enim in eo conueniant quòd sicut Adam non potest infundere mortem peccati, nisi homini ex ipso genito: ita similiter Christus non infundat vitam iustitiæ, nisi in regeneratum ex ipso: tamen in hoc differunt, quod generatio Adami sit naturalis, & ideo neque ipsa, neque id quod ad eam disponit, est ex demerito Adæ, sed solum peccatum. Regeneratio autem ex Christo, est spiritalis; & ideo tam ipsa, quàm dispositio ad ipsam, est ex Christi merito.

Discrimen inter generacionem ex Adamo, & regeneracionem ex Christo.

Dices; Istæ dispositiones sunt actus liberi: quomodo ergo dantur nobis ex Christi meritis? Respondeo; Quatenus pendent ex gratiâ excitante & adiuuante, quæ dantur ex Christi meritis. Quo modo etiam bona opera dicuntur dona Dei.

DVBIVM XII.

Virum Christus meruerit nobis Remissionem Culpa, & Pœne æternæ; & Gratiam Iustificationis?

Respondeo & Dico Primò, Christus satisfecit pro culpis omnium hominum, & meruit illarum remissionem. Est fide tenenda. Isaia 53. v. 6. Posuit in eo Dominus iniquitatem omnium nostrum. Ad Titum 2. v. 14. Dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate. 1. Ioan. 2. v. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Vnde patet eum quoque satisfecisse pro peccatis eorum qui præcesserant, qui etiam ad mundum pertinent. Et confirmatur, ad Rom. 3. v. 25. vbi ex professo probat neminem vmquam potuisse iustificari ex operibus legis, Quem, inquit, proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius in remissionem præcedentium delictorum. Ad Heb. 9. v. 15. In redem-

43 Meruit remissionem culpæ.

In redemptionem earum praeviationum, quae erant sub priori Testamento. Vide D. Augustinum lib. de Perfectione iustitiae, circa medium, & sub finem: & toto libro primo de Peccatorum meritis & remissionibus, praesertim cap. 27. & lib. 2. de Gratia Christi cap. 25. vbi id probat de ijs qui ante Christum fuerunt. Ratio est, quia Christus est redemptor generis humani: redemptio autem potissimum consistit in liberatione à captivitate peccati. Confirmatur; Christi meritum & satisfactio ad hoc fuit sufficientissima; & Deus ex parte sua vult omnes homines saluos fieri: ergo oportebat vt ad omnium delictorum abolitionem, tamquam causa vniuersalis & ex se sufficientissima, referretur. Sicut sol institutus est ad omnes illuminandos. Contra hanc veritatem errauerunt Pelagiani qui docebant Christum exemplo & doctrina dumtaxat profuisse hominibus. In quo errore fuit etiã Petrus Abaliardus, vt refert D. Bern. epist. 190.

Error Pelagianorum.

2. Pœna aeterna.

Dico Secundò; Christus etiam satisfecit pro pœna æterna, eiusque meruit remissionem. Patet ex dictis, nam remissa culpa simul remittitur hæc pœna.

44. Culparum venialium.

Dico Tertio; Etiam meruit nobis remissionem peccatorum venialium, & pœnae respondentis, & pro his satisfecit. Innuat Concil. Trident. sess. 14. cap. 9. vbi dicit nos flagellis temporalibus patienter toleratis, per Christum posse satisfacere. & Can. 14. *Si quis dixerit satisfactiones, quibus poenitentes per IESVM Christum peccata redimunt, non esse cultus Dei, anathema sit.* Et probatur ex 1. Ioan. 1. v. 7. *Sanguis eius emundat nos ab omni peccato.* Ratio est; Quia meruit nobis omnia ad vitam æternam necessaria. Dices; Anime in purgatorio satisfaciunt pro pœna temporali, & tamen non ex Christi meritis. Respondeo; non proprie satisfaciunt, sed satisfaciuntur quantum debent: non enim ibi est remissio, sed iusta totius debiti solutio seu potius elutio. Quando tamen iuuantur suffragijs Ecclesiae, tunc ex Christi meritis & satisfactionibus fit eis remissio.

Anima in purgatorio pro venialibus satisfaciuntur.

45. Meruit Primam Gratiam iustificationis hominibus post lapsu Adæ.

Dico Quarto; Christus etiam meruit omnibus hominibus Primam Gratiam Iustificationis, quæ post lapsum Adæ alicui concessa fuit. Est fide tenenda. Ad Rom. 5. v. 18. *Sicut per vnus delictum in omnes homines in condemnationem: Ita per vnus iustitiam in omnes homines in iustificationem venit.* Idem docet tota epist. ad Galatas, & ad Roman. 3. 4. 5. Sequitur ex dictis; Quia remissio culpæ mortalis & originalis non fit nisi per gratiam iustificationis; huius enim est effectus formalis. Si ergo meruit nobis remissionem culpæ, scilicet effectum formalem; etiam meruit nobis ipsam formam per quã fit hæc remissio. Sicut qui est causa expulsiōis tenebrarum, est causa luminis, quo formaliter tenebræ pelluntur.

Hæc omnia immediatè Christus nobis meruit.

Circa prædicta aduertendum; Christum meruisse nobis remissionem peccatorum & iustificationem, non solum mediatè & remotè, quatenus meruit nobis auxilium præueniens, & concomitans, quo auxilio excitemus in nobis amorè Dei & contritionem, per quæ peccatum expellatur & iustitia conferatur: sed etiã immediatè, vt Scripturæ citatè satis indicant. Ratio est; Quia remissio peccati non fit formaliter per ipsam contritionem, sed est nouum Dei beneficium, quod Deus ob Christi merita promittit ijs qui peniten-

tiam agunt; vt patet Ezechiel. 18. & 33. Vnde contritio est tantum dispositio ad peccati remissionem. Verum de hoc plura in Tractatu de Gratia q. 114. & infra de Sacramento Pœnitentiæ.

Dices Primò; Ad Rom. 3. & 4. dicitur *Gratis iustificari*: ergo non ex meritis Christi. Respondeo; *Gratis*, respectu nostri; Quia non ex nostris meritis: non tamen gratis respectu Christi; sed ex iustitiã. Quod enim nobis est gratia, ipsi est merces.

46. Resoluitur argumta.

Dices Secundò; Ergo Christo fit iniuria, quòd non omnibus detur remissio, & donum iustificationis. Respondeo Negando Consequentiam: Quia non meruit, siue non intendit mereri vt absolute & immediatè hæc conferantur; sed ijs quibus merita ipsius debite applicarentur; iuxta ipsius ordinationem, & diuinæ providentiæ dispositionem. Sicut enim Concilium Trident. sess. 6. cap. 7. ait, *Nemo potest esse iustus, nisi cui merita passionis Domini nostri IESV Christi communicantur*: communicantur autè secundum se, & quasi prius naturã, quàm operentur; partim per Sacramenta, si ritè simus dispositi; partim per contritionem.

Dices Tertio; Ad Rom. 4. v. 25. *Iustificatio tribuitur resurrectioni, in qua nullu fuit meritum: Mortuus est propter peccata nostra; resurrexit propter iustificationem nostram.*

Respondeo; Non vt suã resurrectione mereretur nostram iustificationem; sed vt fidem suæ diuinitatis in nobis confirmaret, sine quã non poteramus iustificari. Vide D. Augustinum lib. 16. contra Faustum cap. 29.

DVBIVM XIII.

Vtrum Christus meruerit nobis suorum meritorum Applicationem?

Notandum est, Christi merita dupliciter nobis applicari. Primò, Immediatè per Diuinam misericordiam; quando datur nobis gratia præueniens, sine vilo Sacramento, aut dispositione nostrã ad eam necessariã. Secundò, Mediatè: Interuentu Sacramenti, vel cõtritionis, vel actus meritorij, aut satisfactorij. Nunc Dubium est: Vtrum sit ex Christi meritis, quod huic detur talis vel talis gratia præueniens, quod applicetur ei Sacramento, &c. Quidam putant hoc non esse ex Christi meritis, sed ex solã electione diuinã.

47. Duplex Applicatio.

Sed dicendum est, Longè probabilius esse etiã hanc applicationem esse ex Christi meritis. Probatur Ioan. 17. vbi Christus singulari modo orat pro prædestinatis: ergo singulari modo sua merita pro ijs obtulit. Et confirmatur; Quia in primo instanti suæ conceptionis, ante omnem actum liberum humanæ voluntatis, præuidebat quibus secundum diuinæ providentiæ ordinationem, suæque voluntatis dispositionem, sua merita forent applicanda; nam præuidebat omnia futura: ergo etiam in primo actu libero poterat merita sua pro his singulari modo offerre, petendo à Patre, vt ita fieret. Vnde prius erat secundum rationem & intelligentiam merita applicari, quàm ipsum hanc applicationem mereri, licet applicatio in executione esset posterior. Non enim est imaginandum, Christum ita meruisse applicationem, quasi per meritum suum meruerit ordinationem rerum & communis providentiæ dispositionem.

Christus eam meruit.

tionem, vt his vel illis fieret applicatio: hoc enim verum non est, saltem generatim. Voluit enim illa applicari ordinariè secundum communem causarum creaturarum ordinem, finens eas agi suis motibus: quamuis interdum ob certas causas contrarium modum adhibeat.

DVBIVM. XIII.

Quenam dona gratia post Iustificacionem dantur ex Christi meritis?

48
Meruit nobis Auxilium Præueniens & Concomitans,

Respondetur; Simpliciter omnia. Est certa, & communis Doctorem. Ac primum, de Auxilio Præueniente & Concomitante; patet tum ex dictis; tum quia meruit nobis iustitia, ac proinde omnia necessaria ad perseverandum in iustitia, inter quæ maximè Auxilium Præueniens, Concomitans, & Protegens. Dices; Auxilium Concomitans est debitum ipsi gratiæ, eo modo quo auxilium generale debetur naturæ: ergo hoc non meruit. Respondeo; saltem meruit nobis hoc auxilium, quatenus meruit nobis ipsam iustitiam & gratiam, cui hoc auxilium debetur. Deinde; etiam meruit hoc auxiliũ in se; quia licet sit gratiæ connaturale, tamen non debebatur ex vlla iustitia: potuit ergo sub meritum conuenienter cadere.

Augmentũ gratiæ & gloriæ.

Secundò; Meruit etiam augmentum gratiæ & gloriæ; vt colligitur ex Apostolo ad Ephes. 1. vbi significatur omnè donum spirituale dari propter Christum. Ad Hebr. 5. v. 9. Factus est cunctis obtemperantibus sibi causa salutis æternæ. Ad Rom. 5. v. 9. Multo magis nunc iustificati in sanguine ipsius, salui erimus ab ira per ipsum, &c. Idem clarè insinuat Cõcilium Trident. sess. 6. c. 16. cum ait, vitam æternam proponendam benè operantibus, non solum tamquam mercedem; sed tamquam gratiam, Filij Dei, per I e s u m Christum misericorditer promissam. Vnde patet, ipsam vitam æternam secundum se, etiam respectu Filiorum & operantium, esse gratiam ex Christi meritis promissam: nec dici solum gratiam ratione radicis, scilicet gratiæ iustificacionis, vel gratiæ præuenientis. Ratio est; Quia meritum Christi, non solum debet esse causa remota augmenti gratiæ, & vitæ æternæ; sed etiam propinqua & immediata: hoc enim est longè perfectius. Confirmatur; Quia est causa vniuersalis omnium bonorum nostrorum: ergo quidquid nos meremur, ipse etiam nobis promeritus est; ita vt meritum ipsius cum omni merito nostro, sicut causa vniuersalis cum particularibus, operetur. Quare sicut meruit vt dignè suscipientibus Sacramenta, daretur gratia, & consequenter gloria, vt patet in paruulis: vel gratiæ & gloriæ augmentum, vt in adultis: Item vt habetibus contritiõne daretur remissio, gratia iustificacionis & gloria: ita etiam meruit vt iustis benè operantibus daretur gratiæ & gloriæ augmentum; vt patet ex Concil. Trident. sess. 14. cap. 8. Vnde fit vt omnè bonum nostrum sit merces meritum Christi.

49
Meritum nostrum meruit tripliciter.

Tertiò; Christus meruit nobis quodammodo ipsum nostrum meritum; idque triplici modo. Primò, quia meruit nobis ipsam meritum radicem, scilicet gratiam iustificacionis, & omnia auxilia ad bonum opus necessaria; & sic consequenter ipsa bona opera; vt supra dictũ est. Quod

optimè explicat Conc. Trid. sess. 6. cap. 16. cum ait, Christum tamquam caput in membra, & vitam in palmites, iugiter infuere iustificatis virtutem; quæ virtus, bona illorum opera semper antecedit, comitatur, & subsequitur: sine qua non possunt esse meritoria, & per quam sunt meritoria. Secundò, Quia meruit vt opera nostra essent meritoria coram Deo, ita vt augmentum gratiæ & gloriæ illis esset debitum: ceteri enim opera nostra sint accepta Deo propter suam intrinsecam bonitatem supernaturalem, quam trahunt ex virtutibus infitis, etiam præciso Christi merito; tamen non habent vim merendi, nisi accedat diuina promissio, vt patet ex supra dictis, dub. 1. num. 5. hæc autem promissio illis facta est ob Christi merita: quod insinuat Concil. Trident. sess. 14. cap. 8. Non habet homo vnde gloriatur, sed omnis nostra gloriatio in Christo est, in quo vivimus, in quo meremur; in quo satisfacimus facientes fructus dignos penitentia qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre. Vbi dicuntur acceptari per Christum nostra opera; quia ob eius merita Pater acceptat opera nostra ad meritum & satisfactionem; scilicet promittendo veniam, & præmium. Neq; enim aliter commode intelligi potest, quomodo propter Christum acceptentur, cum per se grata sint. Confirmatur; Quia sicut in Angelis hæc promissio fuit ex sola Dei benignitate; ita in hominibus debuit esse ex Christi meritis, vti & cetera bona supernaturalia; id enim Apostolus insinuat 2. ad Timoth. 1. v. 1. secundum promissionem vitæ, quæ est in Christo I. s. v. Tertiò præter hos modos, probabile est nostris meritis & satisfactionibus, maius præmium, & vberiorẽ veniam respondere propter Christum, quàm ipsis secundum se responderet: idque partim quia sunt opera membrorum Christi, ac proinde ipsius Christi in membris suis operantis: vt colligitur ex Concilio Trident. sess. 6. cap. 16. quod cedit in dignitatem & æstimationem ipsorum operum: partim quia Deus maius præmium videtur promississe; quod insinuat Ioan. 10. v. 10. Ego veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant.

Quartò; Etiam donum perseverantiæ datur ex Christi meritis. Patet hoc ex supra dictis testimonij. Ad Ephes. 1. v. 3. & c. 4. v. 15. Crescimus in eo per omnia quæ est Caput nostrum Christus. Ratio est; Quia hoc donum consistit in illa gratiarum serie, & diuinæ prouidentia dispositione, qua fit, vt quis in iustitia ex hac vita decedat. Atqui Christus ab initio præuidit quibus hoc esset obtenturum, vel diuinæ prouidentia ordinatione, vel suæ etiam voluntatis interuentu: ergo potuit pro his merita sua præcipuo quodam modo offerre, ac proinde reipla obtulit, vt nihil nõ ex Christi merito detur.

DVBIVM XV.

Virum Christus meruerit nobis Prædestinationem?

Dico Primò; Prima illa generalis dilectio, qua Deus Adamum, & in illo totum genus humanum destinauit ad dona supernaturalia, vt est collatio cælestem gloriam consequeretur, non fuit accepta ex Christi meritis, sed ex solo diuino beneplacito.

neplacito. Est communis sententia. Probatur; quia sicut Deus non ex Christi meritis, sed ex solo beneplacito suo motus fuit ad creandum mundum, ita etiam ad ornandum illum, qua parte capax erat, donis supernaturalibus: voluit enim facere opus perfectum. Secundò; quia generales gradus rerum fuerunt præordinati ex solo diuino beneplacito: atqui gradus gratiæ & gloriæ, sunt generales gradus primariò pertinentes ad vniuersi perfectionem: ergo &c.

Dico Secundò; Illa quoque generalis dilectio, qua post præuifum peccatum originale, Deus humanum genus voluit erigere, & sibi reconciliare per Christum; non est concepta ex Christi meritis, sed ex solo Dei beneplacito. Est etiam ferè communis. Probatur; quia Scriptura semper tribuit voluntatem redimendi, & dandi Christum in Redemptorem, charitati & misericordiæ diuinæ, hanc faciens causam & radicem meritorum Christi. Ioan. 3. v. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret: hic dilectio Dei erga nos, est causa quæ Deum impulit ut Christum daret nobis in Redemptorem. Ad Rom. 5. v. 8. Commendat charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. Ad Rom. 8. v. 32. Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Ratio est; Quia prior est volitio finis, quàm mediorum. Atqui reconciliatio generis humani, est finis ob quem datus est nobis Christus in redemptorem. Et confirmatur: Quia sicut diuina electio erat prima ratio primæ ordinationis humani generis ad salutem; ita etiam debet esse prima ratio restitutionis, neque debebat hoc in voluntatem aliquam creatam referri. Sicut quòd Christus obtulerit opera sua in redemptionem hominum nõ Angelorum; non fuit ex consilio voluntatis ipsius; sed ex consilio voluntatis diuinæ, cuius se humana conformabat.

Dico Tertiò; Christus est causa meritoria illius particularis dilectionis, quæ Deus voluit quibusdam hominibus conferre certa auxilia gratiæ in particulari, cum quibus præciebat ipsos saluandos; & sic est causa prædestinationis eorum qui saluantur. Ita D. Thomas infrà q. 24. a. 4. & clariùs in 3. dist. 10. q. 3. & ibidem Durandus q. 3. & multi recentiores. Vide Vegam lib. 4. in Trident. cap. 5. & deinceps.

Probatur Primò ex Scriptura. Ad Ephes. 1. v. 5. *Prædestinavit nos in adoptionem Filiorum per IESVM Christum: vbi illud Per, non potest commodè nisi causam meritoriam significare, præsertim cum loquatur de Christo homine. Et ibidem v. 4. Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem: quem locum non rectè interpretatur Sasbout, dicens: In ipso, id est, ad habendam fidem in ipso. Rectius D. Thomas in Commentario, vbi, electionem & prædestinationem dicit esse beneficia, Christi merito collata. Ibidem v. 3. Qui benedixit nos omni benedictione spiritali in celestibus in Christo. At, præcipua benedictio est prædestinatio. 2. ad Timoth. 1. v. 9. Qui vocauit nos vocatione sancta, secundum propositum suum, & gratiam, qua data est nobis in Christo IESV ante tempora secularia: vbi dicit ab aeterno gratiam nobis esse præparatam propter Christum. Atqui prædestinatio nihil est aliud quàm præparatio gratiæ & beneficiorum, quibus certissimè liberantur, quicumq; liberantur.*

Secundò Probatur, Ratione: Quia Christus est causa meritoria omnium effectuum prædestinationis: ergo & ipsius prædestinationis. Antecedens patet ex illo: *Qui benedixit nos omni benedictione spiritali in Christo;* atqui omnis benedictio spiritalis est effectus prædestinationis in saluandis; & contrà, omnis effectus prædestinationis est benedictio spiritalis. Consequentia probatur: Tùm, quia idcirco nos non possumus esse causa nostræ prædestinationis, quia nõ possumus esse causa primi effectus: ergo è contrario, cum Christus sit causa primi effectus, est etiam causa ipsius prædestinationis. Tùm, quia is qui est causa meritoria omnium donorum, est etiam causa meritoria voluntatis illius, seu dilectionis, quæ Deus vult dare ista dona: nam meritum non est causa doni seu mercedis, nisi mediante voluntate alterius: atqui hæc voluntas est prædestinatio.

Dices Primò; Christus non est causa meritoria suæ Incarnationis: sed hæc est præcipuum medium nostræ prædestinationis: ergo non est causa omnium mediorum; quare nec prædestinationis.

Respondeo; Incarnatio non est propriè mediū nostræ prædestinationis; quia non est volita ex vi nostræ prædestinationis tamquam efficacis intentionis: sed potius est vniuersalis causa illius. Nam est generale remedium omnibus hominibus præparatum, non procedens ex speciali dilectione huius vel illius, sed ex generali amore omnium: qui generalis amor non erat prædestinatio; quia non determinabat media in particulari quibus reipsa saluamur: sed præsupponebatur & prædestinationi & incarnationi. Si quis tamen velit vocare Incarnationem medium prædestinationis (vt quidam Doctores faciunt) non re, sed verbis à nostra sententia discrepabit.

Dices Secundò; Propositum diuinæ voluntatis est causa nostræ prædestinationis & electionis; vt Apostolus ad Ephesios primo capite ergo non Christi meritum.

Respondeo Negando Cõsequentiã: Apostolus enim 2. ad Timoth. 1. v. 9. vtrumque coniungit, *Secundum propositum, & gratiam qua data est nobis in Christo.* Illud enim propositum, solum excludit nostra merita, non Christi. Adde; ipsum quoque meritum esse ex proposito diuino; & idèò prima origo prædestinationis, est diuina voluntas: antequam tamen intelligatur in diuina mente inchoata nostra prædestinatio, interuenit ibi meritum Christi tamquam prius.

Dices Tertiò; Si prædestinatio facta est ex Christi merito: ergo priùs ratione quàm Deus nos prædestinaret, præiudicet Christi meritum peculiari modo pro nobis offerendum, quo modo non pro alijs: quod videtur absurdum; quia sic omnium prædestinatio penderet ex electione humane voluntatis Christi.

Respondeo Primo, Negando Consequentiam: Sufficit enim vt Deus in illo signo eternitatis, in quo nos prædestinavit, præiudicet Christi merita, tamquam sufficientem rationem prædestinandi aliquos: licet ex parte Christi nulla esset ratio, cur hos potius quàm illos prædestinaret; sed id ex diuina voluntate penderet. Sicut si pretium offeras pro redemptione captiuorum, quos Iudex voluerit; verè es causa liberationis eorum, etiam si ex solius iudicis voluntate pendeat, quod his potius quàm illis applicetur.

52
Neque etiã voluntas Dei qua statuit reparare genus humanum.

53
Prædestinatio hominum est ex meritis Christi.

Prob. ex Scriptura.

Ex Ratione.

54
Soluuntur argumenta.

Incarnatio est vniuersalis causa nostre prædestinationis.

Prædestinatio nostra est secundum propositum Dei, & gratiam Christi.

Non est necesse vt prædestinemur ex peculiari obligatione meritoria Christi pro nobis.

Respon-

Multis in
carnatione
secuti, præ-
destinati
sunt ex pe-
culiari ob-
latione
meritorum
Christi
pro ipso.

Respondeo Secundò; Etsi illi qui Christi incarnationem præcessere, non possunt commodè intelligi prædestinati ex peculiari oblatione meritorum Christi pro ipsis, tamen multi qui secuti sunt incarnationem, possunt sic intelligi à Deo esse prædestinati, quod insinuant multæ Scripturæ. Ioan. 13. v. 18. *Ego scio quos elegerim. Et 15. v. 16. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Psalm. 2. v. 8. *Postula à me & dabo tibi Gentes hereditatem tuam.* Matth. 28. v. 18. *Data est mihi omnis potestas in celo, & in terra.* Quæ loca insinuant non fuisse Domino omnes saluandos ita præscriptos ex nudo beneplacito Dei, vt ipsius humana voluntas nihil circa illos posset, nisi exequi Dei efficacem ordi-

nationem: sic enim ipsius potestas magis esset limitata, quàm cuiusvis Proregis vel Gubernatoris in administratione prouinciæ. Valdè ergo probabile est, plurimorum salutem vel fortè omnium, qui post Christi incarnationem vixere, non fuisse completè prædestinatam sine interuentu peculiaris voluntatis ipsius Christi. Si quis tamen totam prædestinationem velit in diuinam voluntatem referre, dicere potest hanc peculiarem Christi voluntatem, ad effectus prædestinationis pertinuisse. Verùm prior sententia magis placet. De hac re, vide Disputationem de Prædestinatione Christi, vbi sect. 3. fusè tractatur quomodo Christus sit causa nostræ prædestinationis.

QVÆSTIO XX.

De Subiectione Christi ad Patrem.

In Duos Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum Christus sit subiectus Patri?

Respondeo; Christus vt homo, est Patri subiectus secundum bonitatem, seruitutem & obedientiam.

Subiectio
bonitatis.

Quòd subiectione Bonitatis; patet: Quia Christus homo habet omne suum bonum à Patre tamquam riuius à fonte: ergo &c. Et quàmuis secundum diuinam naturam, etiam omnia habeat à Patre, tamen non est illi secundum hanc subiectus: quia bonum huius naturæ in Christo, non est minus bono Patris, sed vnum idemque.

Subiectio
seruitutis.

Quòd sit subiectus subiectione Seruitutis; patet; quia humanitas Christi erat subiecta dispositioni paternæ; & omnia quæ circa illam gesta sunt, ex Patris dispensatione gesta sunt. Deinde; Christus in Scripturis sæpè vocatur Seruus Dei. Isaia 42. v. 1. *Ecco seruus meus*: quod de Christo exponitur Matth. 12. v. 18. licet hic dicatur; *Ecco puer meus*. Sed est idem; vt notat Hieronymus in Isaia. Item Isaia 43. v. 10. *Et seruus meus quem elegi*; vt exponit Ireneus lib. 3. contra hæreses cap. 6. Isaia 35. v. 11. *Iustificabit seruus meus multos*: Et alibi. Idem docent multi Patres.

Dices; Synodus Francfurdiensis circa annum Domini 791. & Adrianus I. in epistola quæ ibi habetur, negant Christum esse Seruum Dei, nisi figuratè intelligatur; quomodo dicunt intelligi in veteri testamento: in nouo autem non vocari Seruum, sed Filium. Quod confirmatur; Matth. 21. Pater familias misit seruos suos; postea mittit non seruum, sed Filium. Confirmatur Secundò; Quia Damascenus lib. 3. de Fide Orthodoxa cap. 21. negat humanam naturam in Christo esse seruam.

Seruus di-
citur Tri-
pliciter.

Respondeo; nomen *Serui*, tripliciter accipi. Primò; vt significet vilem quandam conditionem ex peccato contractam, quæ consistit in quadam indignitate contracta ex culpa & carentiâ iuris ad cælestem hereditatem: Sicut patet ex similitudi-

ne seruitutis legalis. Et hoc modo certum est Christum hominem non esse seruum. Et quidam existimant nihil aliud Adrianus Papam, & Synodum Francfurdiensem velle. Verùm si quis totum illorum discursum perpendat, dubitare non poterit quin longè aliud velint. Neque vllò modo Elipandus Archiepiscopus Toletanus hoc sensu Christum dixit Seruum. Secundò; Accipitur *Seruus* proprie pro eo, qui ita est sub domino alterius, vt non sit particeps eiusdem dignitatis, honoris, & sedis. Et hoc modo negat Adrianus & Synodus, Christum esse Seruum; vt patet ex testimonijs & rationibus illorum. Ratio est; Quia humanitas Christi communicat cum Deo triplici communicatione. Primò, In eo quòd *omnis plenitudo diuinitatis in ipsa sit corporaliter*; id est, substantialiter, & non solo affectu & participatione: nam ipsa diuinitas est vnctio quæ humanitas sanctificatur. Secundò, Quòd ratione huius substantialis vnionis, ipsa humanitas digna sit fide maiestatis & diuino cultu. Sicut enim coniux, quæ prius erat serua, postquam assumitur à Rege ad connubium, efficitur libera, & Regina, & pari cultu honoratur: ita etiam et si humanitas Christi, secundum se serua sit, tamen postquam assumpta est in vnitate persona à Filio Dei, facta est libera, & ita deificata, vt eodem cultu adoretur. Tertio, In eo quòd dignitas nominis communicetur. Omnia enim dignitatis nomina quæ conueniunt in Filium Dei, conueniunt etiam in hunc hominem. Sicut in matrimonio, tituli dignitatum mariti, communicantur vxori. Tertio modo accipitur nomen *Serui* generalissimè; pro omni eo, qui obligatus est ad alterius obsequium, siue sit particeps eiusdem dignitatis, siue non. Et hoc modo Christus in Scripturis dicitur *Seruus*, quasi dicas, obligatus ad diuinum obsequium. Verùm hæc acceptio non est ita propria, sicut illa secunda. Vide fusè de hac materia Gabrielis Vasquez.

Quòd Christus sit subiectus Patri per obedientiam: Patet ad Philip. 2. v. 8. *Factus est obediens usque ad mortem.* Ioan. 8. v. 29. *Quæ placita sunt ei, facio semper.* & 14. v. 31. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Patet; Quia esse subiectum per obedi-

Subiectio
obediens.